




PVB.

TERENTII COMOEDIAE SEX,

IAM DENVO SCHOLIIS ILLVSTRATAE, ATQ. CÆTERIS MVLTO CASTIGATIORES

EDITAE, STVDIO ET labore PHILIPPI Melanthonis, ac Erasmi Roterodami.

Vratislauiæ.

1592.



ADHORTATIO PHILIPPI MELANTHONIS, DE LEGENDIS TRAgœdijs & Comœdijs.

SAEPE DE HOMInum moribus, & de disciplina cogitans, Græcorum consilium valde admiror, qui initio Tragœdias populo proposuerunt, nequaquam, vt vulgò existimatur, tantùm oblectationis caussa, sed multò magis, vt rudes & feros animos considerationē atrociū exemplorum & casuum, flecterent ad moderationem, & frenandas cupiditates, quòd in illis regum & vrbium euentibus imbecillitatē naturæ hominū, fortunæ inconstantiam, & exitus placidos iustè factorum: Ecōtra verò, tristissimas scelerum pœnas ostendebant. Qua in re & hoc singularis prudētiæ fuit, eligere argumenta, non vulgarium casuum, sed insignium & atrocium, quorum commemoratione cohorrescerent tota theatra. Non

enim mouetur populus leuium aut mediocrium miseriarum cogitatione, sed terribilis species obijcienda est oculis, quæ penetret in animos, & diu hæreat, & moueat illa ipsa commiseratione, vt de caussis humanarum calamitatum cogitent, & singuli se ad illas imagines conferant. Nec fuit exigua facultas & ars, grandiloquentia sermonis & gestuum varietate magnitudinem rerum vtcunq; exprimere.

Ego ipse sæpe toto corpore cohorresco, legens tantum, non etiam intuens, vt in theatro agentes, Sophoclis aut Euripidis Tragœdias. Nec vero quisquam tam ferreus est, qui sine animi cõsternatione legat fratrum Thebanorum certamen, & matris Iocastæ exitum, quæ diremtura prælium, cùm tardius venisset, ex alterius filij vulnere ensem extrahit, & hoc ipso ense, qui filij cruore madebat, miserrima mater sese transfigit, postea se mediam inter filios abijcit; brachia spargens, quasi in vtriusq; complexu moritura. Quid hac imagine lugubrius cogitari potest? Hæc igitur agebantur, spectabantur, legebantur, audiebantur à sapientibus & à populo, non vt erotica, sed vt doctrina de gubernatione vitæ. Euentus isti commonefaciebant homines de caussis

caussis humanarum calamitatum, quas accersi & cumulari prauis cupiditatibus in his exemplis cernebant. Et sicut Pindarus inquit: Ixionem implicitum rotæ apud inferos clamitare hanc vocem, quam Virgilius reddidit: Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos. Ita Tragœdiarum omnium hoc præcipuum est argumentum. Hanc sententiam volũt omnium animis infigere, esse aliquam mentem æternam, quæ semper atrocia scelera insignibus exemplis punit, moderatis verò & iustis plerunq; dat tranquilliorem cursum. Et quanquam hos etiam interdum fortuiti casus opprimũt, sunt enim multæ arcanæ caussæ: tamen illa manifesta regula non propterea aboletur, videlicet, semper Erynnias & sæuas calamitates comites esse atrocium delictorum.

Hæc sententia multos ad moderationem flectebat, quæ nos quidem magis monere debet, qui scimus, eam & Ecclesiæ clara Dei voce sæpe traditam esse.

Quare Tragœdiarum lectionem valde vtilem adolescentibus esse, non dubium est, cum ad commonefaciẽdos animos de multis vitæ officijs, & de frenandis immoderatis cupiditatibus, tum vero etiam ad eloquentiam. Summus est enim splendor ver-

borum, & gestus maximè incurrentes in oculos, ad omnes animorum motus ciendos accommodati. Sunt autem hæc duo lumina orationis præcipua. Et quanquam multæ causſæ recitari possunt, quæ studiosos ad Tragœdiarum lectionem inuitant, tamen vel hæc vna persuadere senioribus debet, quia omnes omnibus ætatibus degustata hac lectione, quò sæpius easdem Tragœdias relegunt, eò magis consilia operum, & seriem ac formam expositionis mirantur, & sese ad cogitationem de vitæ humanæ miserijs, remedijs, & gubernatione exuscitant. Appetũtur ergo auidius, quò magis introspectæ sunt. Ac vt in excellenti pictura non potest ars subito contaitu iudicari, ita in his operibus sapientissimè scriptis, non statim perspici omnia membra possunt. Quare vsitatum fuit, sæpe in theatra eadem fabulas referre. Nec nihil causſæ est, cur in Plautino quodam Prologo dictum sit:

Qui utuntur ũno uetere, sapientes puto,
Et qui libenter ueteres spectant fabulas.
Antiqua & opera & uerba cũm uobis placent,
Aequum placere est antè ueteres fabulas:
Nam nunc nouæ quæ prodeunt Comœdiæ,
Multò sunt nequiores, quàm nummi noui.

Dixi

Dixi prolixius, quo consilio excogitatæ sint Tragœdiæ, & quàm sint vtiles ad mores regendos, & ad eloquentiam, quia & morũ & eloquentiæ exempla sunt illustriora in Tragœdijs, quàm in Comœdijs. Etsi autem Comœdiæ ioci & oblectationis causſa magis fictæ sunt, tamen consilium penè est simile. Et quidem vetus Comœdia proprior est Trogœdiæ. Apud Aristophanem non sũt meretricũ, amatorum, lenonum colloquia: sed exempla ciuium, quorum alij Rempublicam bene rexerunt, alij turbarũt ac euerterunt. Et dissimilitudo voluntatum, consiliorum & euentuum proponitur, ad commonefaciendos spectatores aut lectores, quales singuli gubernatores sint, qui probandi, qui imitandi, qui fugiendi.

Etsi autem hominum vita nec solis præsidijs humanis defendi nec regi sola diligentia humana potest, & Respublicæ multas habent fatales mutationes, tamen plerumq; est vtilius moderari impetus, & videre metas officij, nec extra has euagari, nec appetere maiora. Hæc diligentia aliqua ex parte in potestate nostra est, & cùm accedit inuocatio Dei, valdè vtilis est. Tenebat imperij Romani partem Antonius florentissimam,

latè dominabatur, habebat opes maiores, quàm quisquam Regum toto orbe terrarum nunc habet: His frui poterat securus, non impediente Octauio. Sed dum extra metas sui numeris prouehitur, ac solus vniuersum imperium concupiscit, bellum non necessarium Octauio infert, in quo victus, cùm supplex ab irato victore vitam impetrare non posset, ipse sibi mortem conscisçit. Hic fuit exitus belli non necessaria caussa moti. Ita exagitantur apud Aristophanem multi ambitiosi, inquieti, turbulenti, πολυπράγμονες, leues. Verùm hi inflectentes se subinde ad aliam partem, aut rixatores, morosi, pertinaces φιλονεικῆς, veteratores, Sycophantæ, architecti prauorum consiliorũ, arte aliorum animos præparantes & occupantes. Tales sunt Cleon, Paches, Alcybiades, Stenelaidas, Antipho, Hyperbolus, & multi alij. E contrà iusti, moderati, fugitantes non necessaria bella, constantes in sententijs honestis, condonantes multas iniurias puplicæ tranquillitati, Cimon, Nicias, Diodorus, & pauci alij.

Cum autem semper in gubernatione ciuitatum similes sint alij bonorum, alij malorũ, quos Comœdiæ describunt, vtile est, imagines vtrorumq; virtutes, vitia, euentus, euentuum causas diligenter considerare, vt commonefacti, eligamus iusta & moderata consilia, nec accendi nos ambitione, iracũdia, cupiditate vindictæ, auaritia sinamus, vt extra metas officij prouehamur, aut moueamus res iniustas, aut non necessarias.

Nec tantum res considerentur, sed etiam orationis lumina, quæ sunt insignia in harũ imaginum descriptione: vt piscatores, inquit Aristophanes, non capiunt anguillas, nisi prius agitato & turbato stagno: Ita Cleo, quoties inconcessam aliquam vtilitatem aucupatur, prius turbat ciuitatem. Nam iniusta obtineri non possunt, donec legum & iudiciorum autoritate audacia frenatur. Hîc circumspice animo, quoties, quàm multos hæc ætas viderit, qui vtilitatis suæ caussa, Rempublicam mouere, aut abolere iudicia conati sunt. Hæc collatio afferret lucem Comœdijs, & ostendet, quo consilio scriptæ sint.

Hunc eundẽ Cleonem pingit in concione ouium, balænæ specie præsidentem, & dictantẽ sententiam perterritis ouibus, ituris in suffragium. Hæc imago mihi incurrit in oculos, quoties cogito de Synodis, in quibus doctorum & piorum vox terrore potentium oppressa est.

Hunc ipsum Cleonem alibi dicit, alterum pedem in castris, alterum in curia habere, Ita semper multi sunt & fuerunt prophani, indocti πολυπράγμονες, qui alterũ pedem in aulis, alterum in Ecclesiastica concione habent, ac pariter leges ferunt de Imperijs, & de doctrina. Harum figurarum in Comœdijs animaduersio simul & de vita hominũ multa monet, & conducit ad eloquentiam. Possumus enim & hæc ipsa exempla ad præsentia negotia aptè transferre, & his lectis multa ipsi excogitare similia.

Fuit autem initio non ingrata Athenis hæc libertas nominatim taxandi ciues: Ac virtus ducebatur, quæ monebat potentes, vt populi iudicia vererẽtur. Deinde metu potentum, ingenioſi homines, præsertim in ciuitate ociosa, in qua amisso imperio studium virtutis languidius erat, & plus voluptatum, & populus tranquillam seruitutem magis amabat, quàm imperij gloriam, quæ sine magnis laboribus, certaminibus & periculis retineri non potest, transtulerunt Comœdias ad priuatorum, immo ad iuuenum, meretricum & seruorum ludos, pericula & inexpectatos casus, qui cùm exitus sunt lœti, magna cum voluptate audiuntur. Et tamen consilium in describendis personis, idem

fuit in hac noua Comœdia, quod in veteri. Sed tectè fictis nominib⁹ & priuatis personis potentiores significabantur, & miscebãtur consilia de omnibus vitæ partibus, ac tantũ venustatis & leporis in Menandri fabulis fuit, qui Autor est præcipuus nouæ Comœdiæ, vt dixerint illo sale conspersas esse, ex quo Venus, quã fingunt mari ortã, nata dicitur. Cùm autem eadẽ ætate multi Athenis in eodẽ genere scribẽdi elaborarint, & egregia monumẽta plurima reliquerint magnopere dolendum est, seu hominum barbarie, seu propter excidia vrbiũ, omnia funditus interijsse. Nam & ex Latinis vtcunq; æstimari potest, quantũ venustatis in Græcis fuerit, & fragmẽta sunt elegantissima. Deniq; cõsentaneũ est, homines Atticos ingenijs & eruditione excellentes, lepore inter se certãtes, cũ & honos esset huic studio, & alij ab alijs tum excitarentur, tum adiuuarẽtur, non insulsos iocos, quales nunc sunt scurrarũ, aulicorum, in theatra attulisse, sed sapienter excogitata argumenta, & varietate doctrinæ & orationis suauitate dulcissimè ornata.

Postquam verò monumenta horũ interierunt, reliquis fruamur, Plauti & Terẽtij fabulis, & has sæpius legamus, cum vt sermonẽ Latinũ inde hauriamus, tum verò vt morũ & voluntatũ dissimilitudines in personis cõsi-

deremus. Aiunt Antiphanem Comicũ Alexandro Comœdiam recitantem, cum animaduerteret, Regi, in quo vrbanitas & elegantia ſumma erat, ineptias aliquas diſplicere, dixiſſe, ijs demũ placere Comœdias, qui & ipſi cõmeſſatores eſſent, & à mulierculis plagas accipere, & eis dare plagas, conſueuiſſent.

Natura quidem ita fit, vt maximè eorum ſeu ludorũ, ſeu ſtudiorum cõmemoratione moueamur, quæ exercuimus. Sed in fabulis non tantũ ioci ſunt amatorij, alia multa ſunt plena ſapientiæ. Viderat Alexander in aula multos Demeas, Phormiones, Gnathones: viderat in exercitu multos Thraſones: vſitatum eſt autem nobis omnibus à talibus interdũ contumelia affici. Horum imagines in Plauto & Terentio propoſitas diligenter intueatur iuuentus, vt agnoſcere, odiſſe, & fugere moroſos, rixatores, Sycophantas, ardeliones, arrogantes, aſſentatores, quorũ plenæ ſunt omnes ciuitates, diſcat. Nec Terentius ipſe, cùm Demeam & Mitionem confert, ciues obſcuros & ignobiles mente intuebatur: Sed Catonis morositatem irridebat, & Lælij ſeu Scipionis grauitatem lenitate & ſuauitate temperatam laudabat. Ita erit dulcior lectio Comœdiarum, cum vitam

vitam hominum contemplabimur, & quorum pingantur mores, animaduertemus.

Interim & hoc proderit iuuenibus, videre, vbi à factis vulgaribus oratio ad Theſes & grauiſsimarum rerum doctrinam transferatur. Queritur ſeruus apud Plautum, non reddi mutuum: Inde quam Tragicam querelam extruit, de legum & bonorum morum contemtu?

Mores, leges perduxerunt in poteſtatem ſuam:
Eæ miſeræ etiam ad parietẽ ſunt fixæ clauis ferreis,
Vbi malos adfigi nimiò fuerat æquius.

De re magna concionatur ſeruus, & tamen iocus eſt admixtus Comicus, de figendis ad parietem hominibus improbis.

Hæc commemoraui, vt adoleſcentes commonefacti de conſilijs, quare primùm ſcriptæ ſint Tragœdiæ & Comœdiæ, & de earum vtilitate, libentius eas & ſæpius legant. Promitto etiam eis hoc euenturum, vt quò legent ſæpius, eò magis admiraturos & amaturos, & lecturos eas auidius.

Bene vale. Calend. Ianuarij.

Anno M. D. XLV.

ERAS.

ERASMVS ROTERODAMVS

IOHANNI ET STANISLAO BONERIS fratribus, Polonis, S. D.



N teneris, inquit ille, consuescere, multum est. Proinde consultum est, protinus optimis assuescere. Sic enim fiet, vt quæ natura sunt optima, eadem vsu fiant & iucundissima. Nihil est autem homini melius pietate, cuius semina cum ipso statim lacte sunt instillanda paruulis. Proximum locum habent disciplinæ liberales, quæ licet per se virtutes non sint, tamen ad virtutem præparant ingenium, dum id ex syluestri & immiti reddũt mansuetũ & tractabile.

Porrò, quòd Aristoteles negat, adolescentes idoneos esse discendæ Morali Philosophiæ, fortasis haud omninò falsum est. Verùm id non tam accidit vel rei, vel humani ingenij vicio, quàm eorum culpa, qui vel serò tradunt eam animis iam educatione praua corruptis, ac malis cupiditatibus occupatis, vel molestè & operosè tradunt, magis illud affectantes, vt ipsi videantur acuti, quàm vt discipulos reddant meliores. Alioqui nihil magis secundum naturam est, quàm

quàm virtus & eruditio, quæ duo si adimas homini, iam homo esse desyt. Vnum quodq; autem animal eius rei maxime docile est, ad quam natura compositum est: velut equus ad cursum, canis ad venatum, auis ad volandum, simius ad lusum. Non est igitur, quòd naturam incusemus, sed magni refert, vnde pietatis & eruditionis elementa primùm hauriantur, tum quem ad hæc ducem nanciscatur puer, præsertim rudibus illis annis, quibus ingenium etiamnum à vicijs purum, veluti cera mollis, in omnem fingentis habitum sequax & obsecundans.

Itaq; multis nominibus vos felices iudico, ornatissimi pueri: Primùm quòd hoc seculo nati sitis, quo vt veræ pietatis, ita & melioris literaturæ syncera-tas mirificè reuixit. Nam me puerq; multũ superstitionis habebat religio, & in scholis adolescentes summo cruciatu nihil ferè discebant, nisi dediscendum. Deinde quòd is vobis pater contigit, qui liberos suos parum beatos fore iudicat, si opũ ac dignitatis, quibus inter Polonicæ gentis Proceres præcipuum tenet locum, eos parauerit hæredes, nisi & veris animi bonis tum locupletes reddiderit, tum expolitos. Nec enim ille sibi videtur parentis munus ad plenũ obijsse, nisi quemadmodum genuit corpora, ita fingat & animos, haud ignarus, hanc esse meliorem hominis partem, hanc esse præcipuam hominis possessionem. Vir enim pius non tam sibi vos educat, quàm Christo ac

Reipub.

Reipub. Quòd vos genuit, naturæ est, quòd vos curat, statim è nutricum sinu egressos honestissimis disciplinis imbuendos, veræ pietatis est: prudentiæ verò, quòd ad hæc Anshelmum Epborinum delegerit, virum integritate, prudentia, fide, doctrina, vigilantiaq; cũ primis spectatum & exploratum. Quo nimirum acrius vobis enitendum est, ne cùm omnia ad felicitatem suppedita sint, ipsi vobisipsis defuisse videamini.

Magna de vobis, de te præsertim, Iohannes Bonere, expectatio est. Declarant hoc tam multæ Principum virorum ad me litteræ, quibus indolem tuam mihi diligenter commendant: inprimis prudentissimi Regis Sigismundi, deinde ornatissimorum Præsulum Cracouiensis & plocensis, clarissimi viri Christophori à Schydlowitz, Sarmatici regni Præfecti, ne iam commemorem Antonium medicum, & Iustum Regis à secretis, dignitate quidem inferiores, sed beneuolentia pares. Intelligunt enim Regna nullis ornamentis melius decorari, quàm viris eruditione prudentiaq; præcellentibus. Hanc laudis partẽ non minus ambit Rex, huius æui prudentissimus, quàm tot ex hostibus victorijs delectatur. Et hactenus quidẽ satis feliciter studijs efflorvit vestra Sarmatia, & si quid erat nativæ feritatis, commercio literarum exuit. Sed bona spes est, fore, vt hoc ornamentorum genere cum qualibet regione certare valeat, præsertim ductu auspicijsq; Sigismundi Regis iunioris, qui præter alias virtutes excellenti Principe dignas, optimis quoq; literis

teris sese regno parat. Verùm exhortandi gratia non nihil & antea scripsimus tibi, & in posterum, quoties dabitur occasio, scripturi sumus.

Nunc quo calear aliquod addamus currenti, licet Terentij Comœdias Bonerici nominis auspicio prodire voluimus, sed multo quàm antea fuerunt, castigatiores. Hoc vt vellem, effecit tua Stanislaiq; Glandini famuli tui dexteritas, qui nobis interdum aliquot Scenas tam feliciter agere solitus, vt & imitationem primum, vt ait Fabius, in pueris ingenij signum & memoriam vehementer admiraremur, quicunq; nobiscum spectabant. Non ex alio Scriptore melius discitur Romani sermonis puritas, nec est alius lectu iucundior, aut puerorum ingenijs accommodatior. Cæterum id præstabit Ephorim præceptoris dexteritas, vt & ad eloquentiam, & ad mores sit vtilis. Quemadmodum enim bona prudentiæ pars est nosse varios hominum mores & ingenium, ita deorum & tractatio affectuum, qui cum primis adferunt iucunditatem orationi. Græci vocant ἠθοποιΐαν, ex nullo Rhetorum melius discitur. Porro cum inter oratorias partes præcipua sit argumentorum inuentio, ad hanc quoq; facultatem in omni causarum genere parandam, Terentiana lectio conducit plurimum. Nec enim sine causa Criticorum suffragia artem huic autori tribuere. Plus enim exacti iudicij est in vna Comœdia Terentiana, absit Nemesis dicto, quàm in Plautinis omnibus. Sed in tali Authore,

velut in tabula quapiam Apellis, magni refert, quis adsit commonstrator. Qui si contingat egregius artifex, hæc lectio non solum valebit ad exhilarandum animum, non tamen ad emendatè eloquendum, non modo ad vberiorem dicendi facultatem, verumetiam non parum adfert Philosophiæ Morali, quam vnam Socrates existimauit esse perdiscendam homini, qui cupiat beatè viuere.

Itaq; ni te sponte currentem viderem charissime Iohannes, etiam atq; etiam hortarer, vt reputes, quantum sis Deo nomen, cuius munificentia tam felicem indolem docilemq; ingenium sortitus es: cui debes & parentem Seuerinum Bonerum, & Anshelmum parentem alterum, tum qualium virorum quanta de te sit expectatio, & in te coniecti oculi: Postremò, quam isthæc ætas ad honestas disciplinas sit apposita: nondum enim, vt opinor, annum decimum quartum excessisti. Nam ad parandam eruditionem, plus valet in teneris annis vnicus, quàm decem, vbi iam animus alijs occupatus curis, ad docilitatem induruit. Addo huc, quod ea demum in omnem vitam tenacissimè hærent, quæ pueri imbibimus.

Dimittam te, si prius illud admonuero, vt in omni genere carminum temet diligenter exerceas, eò quòd qui hanc eruditionis partem neglexerunt, minore tum fructu, tum voluptate versantur in Authoribus, qui carmen conscripserunt. Iidem facilius labuntur, decepti

decepti mendis codicum, quos sæpenumero prodit metri ratio. Quoniam autem in hoc Authore perturbatior ac liberior est carminum ratio, pauca quædam annotauimus, lucis, vt opinor, nonnihil allatura parum exercitatis. Vale, & fruere.

Friburgi Brisgauiæ, pridie Idus Decembris. Anno à Christo natо.

M. D. XXXI.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS, de Metris Comicis.

COmici Latini multam libertatem sibi vsurparunt in versibus, sed nemo largius Terentio, adeò, vt apud priscos quoq; fuerint, qui iudicarent in huius fabulis nullam esse carminum legem. Sed hos falli, manifestum est. Rursus fuerunt, qui non negarunt, ab hoc seruari metrorum leges: sed ob immodicam libertatem, non esse operæpreciũ, torqueri doctos carminum dimensione, quod & res sit immensi laboris, nec ita multum adferat frugis. At ego ab vtroq; genere dissentio: nam vt manifestius est, quàm vt egeat probatione, Terentij Comœdias versibus constare, ita qui negligendam putarunt metrorum rationem, frequenter Poetæ sermonem corruperunt, dum aliam vocem pro alia subijciunt:

quod nimium sæpe vsu venit scribis in authoribus solutæ dictionis, dum addunt atq; adimunt, dum verborum inuertunt ordinem. Nonnihil etiam hic peccarunt eruditi, qui dum carminum genera distinguunt, ac dimetiuntur, parum attenti, interiecerunt verba quædam, vt explerent versus hiatum, aut resecuerunt, quod videbatur supersesse. Videtur autem studio factum à Terentio, vt dissimulato carmine, quàm proximè accederet ad orationem solutam. Quod idem affectasse videtur Horatius in Sermonibus & Epistolis. Hinc tanta in dimetiendo difficultas, vt existimem, ipsum Donatum, aut Cornutum, aut Asperum, si viuerent, in locis aliquot vel hæsuros, vel inter se dissensuros. Proinde nos quadriduanam opellam sumsimus, vt adolescentulis aliquam huius difficultatis partem adimeremus, non quidem in omnes fabulas, sed in vnam perpetuò, & in cæteris carptim, quo ceu filo adiuti, sese facilius è cæteris explicent Labyrinthis. Constant autem huius fabulæ his fermè metrorum generibus.

Iambico trimetro, qui & senarij dicuntur, à numero pedum.

Iambico tetrametro, qui ab alijs quadrati, ab alijs octonarij dicuntur. Monometrum ac dimetrum rarò interijcitur. In hoc genere quouis loco pro iambo ponit tribrachum, spondæum, dactilum, anapestum: modo totius carminis penultima syllaba sit breuis. Siquidem in hoc versu: Nullũ est iam dictum, quod non

non dictum sit prius: omnes spondæi sunt, excepto vltimo. Cuius generis & alios aliquot reperias.

Fandem libertatem sumit in trochaicis, tetrametris, catalecticis, satis habens, si totius carminis penultima sit breuis. Illud tamen vbiq; cauetur, ne vel trochæus ingrediatur iambicum carmen, vel iambicus trochaicum.

Iambicum tetrametrum, interdũ in fine fraudatur vna syllaba, producta penultima, quoties iambico dimetro acatalectico accinitur dimeter catalecticus. Veluti si: Iam lucis orto sidere: accinas, Cultor Dei memento.

Quanquam in hoc quoq; genere vsurpatur, cum communis, de qua dictum est, Comicorum libertas, tum illa peculiaris, quod pro penultima longa, ponit interdum duas breues. Exemplum est in Actus quarti scena secunda: Iam vbi vbi erit, inuentum tibi curabo, & mecum adductum. Hic penultima producta est. Ibidem: Orare iussit, si se ames, hera, iam vt ad sese venias. Item: Hanc mihi expetiui, contigit, conueniunt mores, valeant.

In his pro penultima longa, ponuntur duæ breues. Hos versus etiam Scazontes appellant. Est Scazontis genus diminutum, quod dimetro iambico accinit duos trochæos: Velut in Actus tertij, Scena secunda: Adhuc Archillis, quæ adsolent, quæq; oportet.

Hîc dimeter est: quæq; oportet. Duo sunt trochæi. Contra in alijs additur pes legitimo numero interim prior carminis pars est Trochaica, posterior iambica, & contra.

Admiscentur interdum & Cretici, siue Amphimacri, qui pes mediam habet breuem inter extremas longas, sic vt singuli versus habeant quaternos, aut ternos creticos, nisi quod hîc quoq; vsurpatur libertas Comica, sicut in cæteris. Exemplum est in quarti Actus Scena prima: Vt malis gaudeant, atq; ex incommodis.

Quatuor cretici sunt, nisi quod tertius est spondæus. Ibidem: Tum impudentissima eorum oratio est, tres habet creticos: Quanquam arbitror, prius carmen viciatum, mutato dictionum ordine. Etenim si sic legas: Et tamen res cogit denegare, ibi tum eorum impudentissima oratio est. Vt posterior versus excipiat Synalœphen prioris, carmen probè constat. Quidam tamen malunt hîc esse trimetros trochaicos catalecticos.

Iambici trimetri facilior est dimensio, cum penthemimeris finit dictionem, Velut: Effertur, imus: Et: Sic cogitabam. Difficilior, cum contra, Vt: Honesta & liberali: accedo ad pedissequas. In be Cæsura est. Idem efficiunt crebræ synalœphæ. Vt ibi: Quæ ibi aderant, forte vnam aspicio adolescentulam.

In tetrametris, item iambicis ac trochaicis durior est dimensio, si prior dimeter non finiat dictionem, præsertim

præsertim si non sit iambus, aut si accedat synalœphe vt: Meum gnatum rumor est amare, id populus curat scilicet. Prior dimeter finitur in ma, syllabam productam, & excipitur à synalœphe re, id. Rursus: Qui postquam audierat, non datum iri, &c. Prior dimeter desinit in i, admixta synalœphe.

Turbat & illud lectorem minus exercitatum, quod interdum repentè miscet iambica cum trochaicis, Trimetra interdum & dimetra aut monometra cum tetrametris. Acatalectica cum catalecticis. Cretica cum iambicis ac trochaicis: quod locis aliquot annotauimus in margine. Ea mixtura maxima fit, vbi res sunt turbulentiores. Et interdum, vt Scena prior desinat in hemistichium, & ab huius clausula incipiat scena proxima, Velut in Andriæ Actus tertij, Scena tertia: Sed eccum video ipsum foras exire.

Dimeter est plenus cum sesquipede. Perficitur initio scenæ loquentis: Ad te ibam, quidnam est? Vt sit Scazon tetrameter catalecticus. Nonnunquã dictio quæ pertinet ad sensum versus sequentis, per elisionem annectitur fini præcedentis, vt in Prologo Eunuchi:

Qui bene vertendo, & eas describendo male,
Ex Græcis bonis, &c.

Durius est, cum dissecta dictione, prior syllaba finit versum, reliquæ incipiunt sequentem, vt in Eunuchi actus tertij, scena prima. Continuò si quando illa dicet: Phædriam intromittamus commessatum, tu Pamphilam.

Elisiones item & synæreses, præsertim minus vsitatæ apud recentiores, faciunt, vt lector imperitus frequenter hæreat in carmine. Eliditur autem in Comicis versibus v consonans, vt in prima scena:

Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.

Rursus ibidem:

Liberius viuendi fuit potestas: nam antea, &c.

Item in scena tertia:

Enimuero Dane, nihil loci est segnitiæ, &c.

Carmen enim incipit ab anapesto.

Et antè in scena prima:

Enimuero spectatum satis.

Eliditur & s, tum in fine, tum in media dictione.

In fine, vt in prima scena:

Sed quid opus est verbis? Sed quid opust.

Elisa simul & vocali e. Idem fit in satis.

Nec satis digna, cui committas, &c.

Rursum in Prologo Andriæ fit in medio dictionis.

Id isti vituperant factum, atq; in eo disputant.

Alijsq; locis compluribus, quorum aliquot in margine annotauimus.

Interdum eliditur l, vt in prima scena Andriæ.

Pro vxore habere hanc peregrinam: ego illud sedulo.

Vt grinam, ego il, faciant dactylum. Hanc libertatem frequenter vsurpat Homerus, dum s elidit in ὀδυσεὺς, & l in ἀχιλεὺς.

Sæpe-

Sæpenumero contrahuntur Vocales, velut in his: Fuit, Deos, dies, meus, suus, scias, nihil, mihi, vt sint monosyllaba. Similiter: Ei, eis, huius, cuius, monosyllaba ponuntur subinde, eorum, meorum, dissyllaba.

Liberius viuendi fuit potestas.

Di fuit, facit spondæum.

Scias posse habere iam ipsum suæ vitæ modum.

Scias posse, spondæus est, & sub vnica syllaba est.

Meum gnatum amare rumor est, &c.

Meum gnatum, spondæus est. Item: Antehac, dissyllabum est. Nam quod antehac fecit.

Frequenter eliditur d in quid & sed, pro vocali: & sicut in periculum elidimus v, idem hic fit in paululum & annulum. Quin & syllabæ quædam aliter pronunciantur, quàm apud recentiores vsurpatæ sunt, velut in suspicio secunda producitur, vnde factum est, vt quidam legant suspectionem. Rursum in caue, vide, mane & abi, finalis corripitur. Minimo momento mutatur genus carminis: velut in Actus quarti scena prima, si legas:

In denegando modo quis pudor est paululum?

Trimeter est Iambicus. Rursus si In annectas fini versus sequentis, versus constabit quatuor creticis. Denegando, modo quis, pudor est paululum? Si in modo, facias pyrrichium, erit trimeter trochaicus catalecticus.

Denegando, modo quis, pudor est paululum.

Porro inter Iambicos tetrametros, acatalecticos & trochaicos tetrametros catalecticos tanta est affinitas, vt interdum nihil referat eundem versum vtrum per iambos, an per trochæos metiaris, velut in actus tertij scena quarta: Vtinam mihi esset aliquid hîc, quo me nunc præcipitem darem. Si mihi, facias vnicam syllabam trochaicus est: si duas, iambicus est. Quale est & in actus quinti scena prima: Satis iam satis Simo spectata erga te amicitia est mea. Item sequens: Satis pericli cœpi adire, orandi iam finem face. Licet per ambos vel per trochæos metiri. Huius generis sunt & alij complures. Illud mihi monendus est lector, vt meminerit, à notato metro idem carminis genus durare, donec repererit annotatum diuersum.

VOL.

VOLCATII SEDIGITI, DE COMICIS LATINIS IAMBI.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poetæ Comico cui deferant.
Eum, me iudice, errorem dissoluam tibi,
Vt contra si quis sentiat, nihil sentiat.
Cæcilio palmam statuo de Comico.
Plautus secundus facilè exuperat cæteros.
Dein Næuius qui seruet, precio in tertio est.
Si quid quarto detur, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Attilium.
In sexto consequitur hos Terentius.
Turpilius septimũ, Trabea octauum obtinet.
Nono loco esse facilè facio Luscinium.
Decimum addo antiquitatis causa Ennium.

VARRO IN PARMENONE, VT CITAT Nonius Marcellus.

In argumentis Cæcilius poscit palmam,
In ethesi Terentius, in sermonibus Plautus.

IOHAN-

IOANNI GLORIERIO, CHRISTIANISS. GALLORVM REGIS SECRETARIO, & primario Insubriæ Quæstori, Franciscus Asulanus S. D.

QVicunque Volcatius ille Sedigitus fuit, qui iudicium de Latinis Comicis, in his, qui circunferuntur, iambis tam audacter tulit, vt nihil eum qui contrà sentiat, sentire dixerit: næ ille mihi omni spe prorsus videtur sensu caruisse: Cæcilio palmam statuit, facilius id fortasse quam decuit. Quanquam enim de eo, cuius nulla extant scripta, iudicari nihil possit, non parui tamen Ciceronis iudicium, qui nunc malum eum esse Latinitatis authorem, nunc male locutum dicit, faciendum est. Sed ob ipsam tamen hanc caussam, quod omnia eius scripta interciderunt, ne temerè in eum, quem non legimus, pronunciasse quicquam videamur, cum præsertim & Horatius, etiam grauitate eum dicat vincere, condonemus sane hoc Ciceronis iudicio, & recte Cæcilio delatam palmam existimemus. Quid? quod Plautum cæteros superare, ac sexto demum loco consequi Terentium asserit? vllone id pacto assentiri possumus? Ego vero, tantum abest, vt in hac sim sententia, vt longo interuallo post Terentium, Plautum

Plautum arbitrer collocandum. Neq; vero, vt hoc sentiam, sermonis solùm elegantia mouear, qua Terentium facillimè omnes excellere, nemo est qui neget. Volo in hoc parem illi Plautum esse: volo quod hominis fortasse vicium sit, ætati asscribere. Durior est Plautus: asperis quibusdam, atq; obscuris verbis vtitur. Sic enim tunc loquebantur, non poterat ille alio, quàm ætatis suæ, sermone vti. Longè Terentius cultior, nihil in eo non lene, nihil non elegans. Limatior tum scilicet Latina lingua facta est. Non eius hæc propria existimanda laus, sed communis illius ætatis omniũ. Vt hæc, inquam, ita esse concedam, quid cætera, quæ multo maioris artis sunt, possuntne vlla ratione paria in vtroq; fieri? Omnibus mihi Plautus in rebus (liceat liberè proferre) quod sentio, videtur nimius. Ita illo Terentius parcior, vt nihil ab eo tamen, quod desiderari possit, relinquatur. Hiant nonnunquam, neq; satis cohærent Plauti Comœdiæ: Ita omnia Terentij inter se nexa, ita ex omnibus vnum quoddam conficitur, vt nihil aptius illius fabulis, nihil magis fieri ad vnguem possit. Atqui hoc, id est, quod præcipuè præstari & à Poetis, & à Scriptoribus omnibus debeat, ac maximam, si aliud quippiam, artem exigat. Iam decorum illud, quod in omnibus tantopere custodiendum rebus est, in fabulis vero, vbi congrua vnicuiq; personæ effingenda sunt omnia, nisi seruetur, nihil prorsus fiat, nemo Terentio attentius obseruauit. At huius

nonnun-

nonnunquam Plautus obliuiscitur.

Ac mihi quidem aliquando hæc, quæ diximus, consideranti, ob id Plautus minus in his fortasse posuisse curæ videri solet, quod vnum illi studium facetiarum fuit. Nihil ille aliud propositum Comico Poetæ credidit, quàm populo risum mouere. Id dum vnum captat, vni huic rei dum inseruit, vt id, quod voluit, maximè assecutus sit, & vrbanissimus sit spectatoribus visus, multa certè alia, & potiora omisit: atq; ipsi tamen etiam illi sales, dum vndiq; eos collegit, vndiq; ex omni re aucupatur, hebetes plerunq; ac scurriles sunt, nec quos extra illum in theatro concitati vulgi plausum sedatus probare lector possit. Qua in re ita sibi Terentius moderatus est, vt in hoc quoq; non minus, quàm in cæteris, quæ à nobis dicta sunt, præstitisse omnibus videatur. Duo sunt facetiarum genera, in re alterum, alterum in verbo est positum. Multo id venustius & grauius, quod re tractatur. Acutum nonnunquam & elegans, quod in verbo est, sed frigidum tamen plerunq; est, & facillimè in scurrilitatem delabitur, si quis sibi in eo non moderetur. Creber primo in genere, in secundo parcus Terentius. E contra Plautus, in primo rarus, in secundo frequentissimus. Hinc factum est, vt rudi fortasse populo, & spectatoribus, quippe qui scurra sæpius, quàm Poeta delectantur, falsior sit Plautus visus, peritis certè auribus, & sapienti lectori, nihil Terentio festiuius videri debet. Illius quæ lepida dicta sunt, placere semel possunt, huius quo magis inspiciuntur, eo venustiora apparent. Risum ille persæpe, sed & sæpe cachinnum mouet: nunqum cachinnum mouet Terentius, atq; vt vno omnia verbo amplectar: in illo dicacitas, in hoc vrbanitas conspicitur maxima. Atq; hanc quidem ego de Poetis his non tam liberè fortasse dixissem sententiam, nisi maximos, quos sequerer, viros, Horatium & Afranium, eius authores habuissem, quos multo ego pluris, quàm Sedigitum hunc, nescio quem, facio. Acerrimo inter Poetas omnes iudicio mihi fuisse Horatius videtur: nemo illo vetustiores Poetas diligentius excussit. At ait is de Plauto.

At nostri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere sales: nimium patienter vtrumq;.
Ne dicam stultè, mirati, si modò ego & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumq; sonum digitis callemus & aure.

Et numeros, & sales Plautinos, non probat Horatius: nos de salibus diximus, multa quæ de numeris dici possent, ne longiores essemus, ac nimis omnia inquirere videremur, prætermittere, ac condonare voluimus. Sed quid idem de Terentio Horatius?

Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte.

Parcit

parem Cæcilio Terentium facit, cum grauitate alterum, alterum arte dicit vincere. Atqui ego ne grauitate quidem video quomodo ab vllo vinci potuerit Terentius, quæcunq; in Comico esse aut potest, aut debet grauitas, in illo est. Quod si grauior Cæcilius fuit, ne ille fortasse Comœdiæ sit fines prætergressus. Quanquam enim tollat plerunq; vocem Comœdia necesse est, ita tamen debet tollere, vt nullo illi pacto ad Tragœdiam ascendendum sit. Ob hoc ego Afranio libenter accedo, qui neminem Terentio dici posse similem affirmat, neq; cuiusquam verius fuisse iudicium arbitror. Probatiores alij fuerint populo, vnius ego Afranij, qui ipse egregiè togatas scripsit, de Comico Poeta iudicium, longè omnibus totius victricis terrarum omnium plebis Romanæ plausibus antepœnendum censeo. At in alia est sententia Sedigitus, grauis mihi Author opponitur, Non Terentio in Cæcilium solum & Plautum, sed Attilium etiam, si Dijs placet (vt omittam alios) præferendum existimat. Quid agis bone Volcati? Eumne etiam, quem Cicero & ferreum esse Scriptorem, Licinio assentitur, & ipse durissimum vocat? Sed non est profecto, quod admirer, non satis tibi elegantissimum hunc Poetam placuisse, ne id quidem admirarer, si post Ennium, quem postremum censes, collocasses. Hoc ego te sensisse, sed dicere ausum non esse arbitror. Vnum id admiror, inuentum esse quempiam, qui tua ista carmina tanquam oraculum quoddam

quoddam sibi proferenda duxerit. Sed valeat Sedigitus, nos Afranio assentiri, non pigeat, ac Terentium omnibus præstitisse Comicis credamus: neq; vim illam Comicam, quam ei vnam defuisse dolet Cæsar (nisi modo sunt illa Cæsaris carmina) desideremus. Nihil illi defuit, omnia quæ Comico Poetæ præstanda sunt, præstitit: si quid desiderandum est in illo, desiderandum id est, vt ea aliquando in manus nostras veniant exemplaria, ex quibus emendatissimus emitti, ac confusi illius restitui versus possint. Nihil est enim difficilius, quàm hos distinguere Similimos ille eos prosæ orationi esse voluit, vt nihil à sermone differre viderentur: Ob id proximis his rudibus & bonarum literarum expertibus seculis, versus crediti non sunt, & ab exscribentibus librarijs confusi. Restituit horum multos Aldus soror ius meus, dum viueret, multos nos eo mortuo ex veteribus libris correximus. Neq; tamen, quod audaciores alij affirmare ausi sunt, restitutum omnino Terentium credimus, erit fortasse, cum id affirmari à nobis poterit, nunc satis nobis sit, ex nulla vnquam illum officina post hunc exscribendi libros modum inuentum, castigatiorem prodijsse. Plures autem ob causas tibi is, Glorieri clarissime, debetur liber, & promiserat iam eum tibi Aldus, & nihil est, quod tibi nostro etiam nomine, & ego & Andreas pater non debeamus. Tu Aldum semper singulari quadam benevolentia prosecutus es. Tu eo defuncto,

omnem in nos amorem illum contuliſti, neq; vnquam noua in nos quotidie beneficia congerere intermiſiſti, ex quo factum eſt, vt quo tibi pacto pares vnquam referri à nobis poſſint gratiæ, non videamus, neq; tamen ob id hunc tibi à me librum dicatum quiſquam exiſtimet, quod plurimis ac maximis tuis in me meritis leui hoc munere ſatisfactum velim, tantum abeſt, vt id cogitem, vt ob hoc tibi etiam magis debiturus ſim. Ob hanc enim præcipuè cauſſam ſub tuo nomine Terentium edimus, vt & is, & reliqua omnia, quæ aut emiſſa à nobis ſunt, aut emittentur, patrocinio tuo defendantur, ac non parua ex tuo nomine authoritas libris noſtris accedat. Quòd autem tibi ego, cui me plurimum debere profiteor, plura etiam debere non verear, ſingularis quædam, quæ in te vno cernitur, in cauſſa eſt beneficentia. Tum tu tibi cumulatiſſimè relatum beneficium putas, cum nouo cumulas, neq; alium ex ipſa beneficentia fructum, quàm beneficentiam ipſam petis, ac oſtendunt ſe quidem reliquæ in te virtutes omnes, ob quas tanquam aliquod è Gallia miſſum numen Inſubria te tota ſuſpicit: Sed neſcio, quo pacto tamen longè hæc magis omnium in ſe oculos trahit, longè hæc magis omnium ſermonibus celebratur. Quippe & multo hanc ſibi omnes magis, quàm cæteras, prodeſſe ſentiunt: neq; alia virtus eſt, quæ ſimiliores nos Dijs efficiat. Atq; hac tu quidem ita quotidie tibi multos deuincis, vt difficile ſit, qui te nouerit, & non tuo tibi aliquo beneficio obſtrictus ſit, reperire. Ego certè præter cæteros tibi tantum debeo, vt tibi quidem ipſi ſatisfacere vna tantum ratione, noua beneficia accipiendo, atq; illuſtriorem beneficentiam tuam faciendo poſſim. Cæteris quo me pacto non ingratum eſſe oſtendam, non inueniam.

Autor Petrus Alcyonius.

TERENTII VITA, ET DE TRAgœdia ac Comœdia, non pauca ex Ælio Donato.

PVBLIVS TERENtius Afer, Carthagine natus, ſeruiuit Romæ Terentio Lucano ſenatori: à quo ob ingenium, & formam, non inſtitutus modo liberaliter, ſed & maturè manumiſſus eſt. Quidam captum eſſe exiſtimant, quod fieri nullo modo potuiſſe, Feneſtella docet, cùm in fine ſecundi belli Punici, & ante initiũ tertij, natus ſit, & mortuus: nec, ſi à Numidis aut Getulis

captus sit: ad ducem Romanum peruenire potuisse, nullo cõmercio inter Italicos & Afros, nisi post deletam Carthaginẽ, cœpto.

Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maximè cum Scipione Africano, & cum Lælio, quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur: Quod & ipsum Fenestella arguit, contendens vtroque maiorem natu fuisse. Quamuis & Cornelius Nepos æquales omnes fuisse tradat, & Portius suspitionem de consuetudine per hæc faciat:

Trochaic Tetramet Catalect.

Dum lasciuiam nobilium & fucosas laudes petit:
Dum Africani voce diuina inbiat auidis auribus:
Dum, ad Furium se cœnitare, & Lælium, pulchrum putat.
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi.
Ob florem ætatis suæ: ipsus sublatis rebus, ad summam
Inopiam redactus est.
Itaq; è conspectu omnium abijt in Græciam, in terram vltimam:
Mortuus est in Stimphalo Arcadiæ oppido.
Nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius.
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillimè.

Hæc carmina sunt Viciata & mutilia.

Eorum

Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem vt esset, quò referret obitum domini seruulas.

Scripsit Comœdias sex, ex quibus primã Andriã cum ædilibus daret, iussus ante Cerium recitare, ad cœnantem cum venisset, dictus est, initium quidem fabulæ, quod erat comtemtiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse: post paucos vero versus, inuitatus vt accũberet, cœnasse vnà, deinde cœtera percurrisse, non sine magna Cerij admiratione. Et hanc autẽ, & quinq; reliquas æqualiter populo probauit. Quamuis Volcatius de enumeratione omnium ita scribat.

Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.

Eunuchus quidem bis acta est, meruitq; precium, quantum nulla antea cuiusquam Comœdia, videlicet, octo millia nummũm: Propterea summa quoq; titulo adscribitur, Nam adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, adiutum Terentium in scriptis à Lælio & Scipione, quibus cum familiariter vixit. Eandem ipse auxit: nunquam enim nisi leuiter, se tutari conatur, vt in Prologo Adelphorum:

Octo sestertia ducentorum Coronatorum precium est.

Nam quod isti dicunt maleuoli, homines nobiles
Hunc adiutare, assidueq; vnà scribere,
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet,
Qui vobis vniuersis, & populo placent,
Quorum opera in bello, in ocio, in negotio,
Suo quisq; tempore vsus est sine superbia.

Videtur autẽ se leuius defendisse, quia sciebat Lælio & Scipioni non ingratam esse hanc opinionem, quæ tamen magis, & vsq; ad posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro se, ait: P. Africanus, qui à Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit. Nepos authore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano Calend. Martij admonitum ab vxore, temporibus vt discumberet, petijsse ab ea, ne interpellaretur, serius tandem ingressum triclinium, dixisse, non sæpe in scribendo magis succesisse sibi: deinde rogatum, vt scripta illa proferret, pronunciasse versus, qui sunt in Heautontimorumeno:

Satis pol proteruè me Syri promissa huc induxerunt.

Santra

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adiutoribus indiguerit, non tam Scipione & Lælio vti potuisse, qui tunc adolescentuli fuêre, quàm Sulpitio Gallo homine docto, & qui Consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum, vel Q. Fabio Labeone, & M. Popilio, Consulari vtroq;, ac Poeta. Ideò ipsum non iuuenes designasse, qui se adiuuisse dicerẽtur, sed viros, quorum operam & in bello, & in ocio, & in negocio populus sit expertus. Post editas, Comœdias, nondum quintum atq; trigesimum egressus annum, caussa euitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Græcorum instituta, moresq;, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus vrbem est, neq; amplius redijt. De morte eius Volcatius tradit;

Sed vt Afer sex populo edidit Comœdias.
Iter hinc in Asiam fecit: nauim cùm semel
Conscendit, visus nunquam est, sic vita vacat.

Q. Consetius redeuntem è Græcia perijsse in mari dicit, cum centum & octo fabulis conuersis à Menandro.

Cæteri, mortuum esse in Arcadiæ Stimphalo sinu Leucadiæ tradũt, Cn. Cornelio

Dolobella, Marco Fuluio nobiliore, coſs: morbo implicitum, acri dolore, ac tædio amiſſarum Satyrarum, quas in naui præmiſerat, ac ſimul fabularũ, quas nouas fecerat.

Fuiſſe dicitur mediocri ſtatura, gracili corpore, colore fuſco. Reliquit filiam, quæ equiti Romano nupſit. Item hortulos XX. iugerum, via Appia, ad Martis villam: Quo magis miror, Portium ſcibere:

Nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillimè:
Eorum ille opera me domum quidem habuit conductitiam:
Saltem vt eſſet, quo referret obitum domini ſeruulus.

Facillimè agentes, appellat diuites ac potentes.

Hunc Afranius quidem omnibus Comicis præfert, ſcribens in Compitalibus:

Terentio non ſimilem dices quempiam.

Volcatius autem non ſolum Næuio & Plauto, & Cæcilio, ſed Licinio quoq; poſtponit. Cicero in Limone hactenus laudat.

Tu quoq; qui ſolus lecto ſermone Terenti,
Conuerſum, expreſſumq; Latina voce Menandrum.
In medio populi ſedatis vocibus effers,
Quiquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item

Item C. Cæſar:

Tu quoq; tu in ſummis, ô dimidiate Menander
Poneris, & merito puri ſermonis amator,
Lenibus atq; vtinam ſcriptis adiuncta foret vis
Comica, vt æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neq; in hac deſpectus parte iaceres,
Vnum hoc maceror & doleo tibi deeſſe Terenti.

Hæc Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios Poetas fuiſſe ſcribit Metius, quorũ alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter Libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidiſſe Terentium, Valgius in Actæone ait.

Hæc quæ vocantur fabulæ, cuius ſunt?
Non has qui iura populis † recenſens dabat
Honore ſummo affectus fecit fabulas?

Cedo, aut ſimile verbum deeſt Fortè conſultus.

Duæ ad Appollodoro translatæ eſſe dicuntur Comico, Phormio & Hecyra: quatuor reliquæ à Menandro, ex quibus magno ſucceſſu, & præcio ſtetit Eunuchus fabula, Hecyra ſæpe excluſa, vix acta eſt.

DE TRAGOEDIA ET COMOEDIA.

Hoc videtur Cornuti aut Asperi.

Tragœdia.

INitium Tragœdiæ & Comœdiæ à rebus diuinis est inchoatum, quibus pro fructibus vota soluentes operabantur antiqui: Nam incensis iam altaribus, & admoto hirco id genus carminis, quod sacer chorus reddebat Libero patri, Tragœdia dicebatur, vel ἀπὸ τοῦ τράγου, Hoc est, ab hirco hoste vinearum, & à cantilena. Eius ipsius rei apud Virgilium plena fit mentio: Vel quod hirco donabatur eius carminis Poeta, vel quod vter eius, musti plenus, solenne præmium Cantoribus fuerat: vel quod ora fecibus perlinebant Scenici, ante vsum personarum ab Aeschylo repertum. Feces enim dicuntur Græcè τρυγες: Ex his quidem caussis Tragœdiæ nomen est inuentum.

At vero nondum coactis in vrbem Athenienstibus, cum Apollini Nomio, id est, pastorum, vicinorumq; præsidi Deo, constructis aris in honorem diuinæ rei circum Atticæ vicos, villas, pagos & compita festum carmen solenniter cantarent, orta est Comœdia ἀπὸ τῶν κωμάζειν καὶ ᾄδειν, quod est, commessatum ire cantantes, quod à Poetis solenni die, vel amatoriè lasciuientibus choris Comicis non absurdum est. Itaq; vt verum, ita etiam temporum ipsorum cœpto ordine Tragœdia primò prolatà

prolata esse cognoscitur. Nam vt ab incultis & feris moribus paulatim peruentum est ad mansuetudinem, vrbesq; sunt conditæ, & vita mitior atq; ociosior processit, ita res Tragicæ longè ante Comicas inuentæ. Quamuis autem retrò prisca voluentibus reperiatur Thespis Tragœdiæ primus inuentor, & Comœdiæ veteris pater Eupolis cum Cratino Aristophaneq; esse dicatur: Homerus tamen, qui ferè omnis poeticæ largissimus fons est, etiam his carminibus exempla præbuit, & velut quadam suorum operum lege præscripsit, qui Iliadem instar Tragœdiæ, Odyssæam ad imaginem Comœdiæ fecisse monstratur. Nam post illius tale tantumq; documentum, ab ingeniosissimis imitatoribus, & digesta sunt in ordinem, & diuisa ea, quæ etiam tum temerè scribebantur adhuc impolita, atq; in ipsis rudimentis haud quaquam, vt postea facta sunt, decora atq; leuia.

Tragœdie & Comœdiæ veteris inuentores.

Ilias Homeri Tragœdia.

Odyssæa comœdia.

At nos ea, quæ propriè de Tragœdia dicenda sunt, titulo propositi operis instantes, in alia tempora differamus: & de his fabulis iam loquamur, quas Terentius imitatus est, postquam demonstrandæ originis causssa de vtriusq; generis initio diximus, quod necesse est, iam dicemus.

Comœdia ferè vetus, vt ipsa quoq; olim Tragœdia, simplex carmen (quemadmodum iam diximus) fuit, quod chorus circa aras fumantes, nunc spacia-

tus, nunc

tus, nunc reuoluens gyros, cum tibicine concinebat. Sed prima vna persona substituta est cantoribus, quæ respondens alternis choro, locupletauit variauitq; rem musicam, tum altera, tum tertia: & ad postremum crescente numero, per actores diuersos, personæ, pallæ, cothurni, socci, & cæteri ornatus atq; insignia Scenicorum reperta, & ad hoc vnicuiq; suus habitus, & ad vltimum, qui primarum partium, qui secundarum & tertiarum, qui quartarum atq; quintarum actores essent, distributa & diuisa quinq; partita tota est fabula, quæ tamen in ipsis ortus sui, velut quibusdam incunabulis, & vix dum incipiens Κωμωδία dicta est ἀρχαία Idcirco quia nobis parum cognitis vicijs, † aut quia inest in ea velut historica fides veræ narrationis, & denominatio omnium, de quibus liberè describebatur. Etenim per priscos Poetas, non vt nunc penitus ficta argumenta, sed res gestæ à ciuibus palam, cum eorum sæpe qui gesserant, nomine decantabantur. Ideo ipsa suo tempore, moribus multum profuit ciuitatis, cum vnusquisq; caueret, culpa ne spectaculo cæteris esset, & domestico probro. Sed cum Poetæ abuti licentius stylo, & passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata siluêres. Et hinc deinde aliud genus fabulæ, id est, Satyra, sumpsit exordium, quæ à Satyris, quos illos semper ac petulantes Deos scimus esse, vocitata est,

Legendũ suspicor, in ijs nata est.

Satyræ origo.

est, etsi aliunde nomen traxisse praue putant alij. Hæc, quæ Satyra dicitur, eiusmodi fuit, vt in ea quamuis duro, & velut agresti modo de vitijs ciuium, tamen sine vllo proprij nominis titulo carmen esset. Quod idem genus Comœdiæ multis obfuit Poetis, cum in suspicionem potentibus ciuibus venissent, illorum facta descripsisse in peius, ac deformasse genus stylo carminis: quod primo Lucilius nouo conscripsit modo, vt Poesin inde faceret, id est, vnius carminis plures libros. Hoc igitur, quo supra diximus modo, coacti omittere Satyram, aliud genus carminis τὴν νέαν κωμωδίαν, hoc est, nouam Comœdiam, reperêre Poetæ, quæ argumento communi magis, & generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret, & minus amaritudinis spectatoribus, & eadem opera multum delectationis afferret, concinna argumento, consuetudine congrua, vtilis sententijs, grata salibus, apta metro. Vt igitur superiores illæ suis quæq; celebrantur authoribus, ita hæc noua Comœdia cum multorum antea tum præcipue Menandri Terentijq; est: De qua cum multa dicenda sint, sat erit tamen, velut admonendi lectoris causa, quod de arte Comica veterum chartis continetur, exponere.

Comœdia noua.

Comœdia vetus, vt ab initio chorus fuit, paulatimq; personarum numero in quinq; actus processit, ita paulatim velut attrito atq; extenuato choro, ad nouam

ad nouam Comœdiam sic deuenit, vt in ea nõ modo non inducatur chorus, sed nec locus quidem vllus iam relinquatur choro. Nam postquam ociosõ tempore fastidiosior spectator effectus, tunc cum ad Cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere & abire cœpisset, admonuit Poetas, primò quidem Choros prætermittere, locum eis relinquentes, vt Menander fecit, hac de caussa, non vt alij existimant, alia. Postremò, ne locum quidem reliquerunt, quod Latini fecerunt Comici, vnde apud illos dirimere actus quinq; partitos difficile est. Tum etiam Græci prologos non habent more nostrorum, quod Latini habent. Deinde θεὸς ἐπὶ μηχανῆς, id est, Deos argumentis narrandis machinatos, cæteri Latini instar Græcorum habent, Terentius non habet. Ad hoc προταϊκὰ πρόσωπα, id est, personas extra argumentum accersitas, non facilè cæteri habent, quibus Terentius sæpe vtitur, vt per harum inductiones facilè pateat argumentum. Veteres etsi ipsi quoq; in metris negligentius vsi sint iambico versu duntaxat in secundo & quarto loco, tamen à Terentio vincuntur resolutione huius metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosæ orationis. Tum personarum leges circa habitum, ætatem, officium, partes agendi, nemo diligentius Terentio custodiuit. Quin etiam solus ausus est, cùm in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra præscripta

scripta Comica meretrices interdum non malas introducere, quibus tamen, cur bonæ sient, & voluntas per ipsum, & caussa non desit. Hæc cum artificiosissima Terentius fecerit, tum illud est admirandum, quod & morem retinuit, vt Comœdiam scriberet, & temperauit affectum, ne in Tragœdiam transiliret. Quod cum alijs rebus minime obtenium, & à Plauto, & ab Afranio, & Actio, & multis ferè magnis Comicis inuenimus. Illud quoq; inter Terentianas virtutes mirabile, quod eius fabulæ eo sunt temperamento, vt neq; extumescant ad Tragicam celsitudinem, neq; abijciantur ad historicam. Adde, quod nihil abstrusum ab eo ponitur, aut quod ab historicis requirendum sit, quod sæpius Plautus facit, & eo est obscurior in pluribus locis. Adde, quod argumenti ac styli ita attentè memor est, vt nusquam non cauerit, aut curauerit ea, quæ obesse potuerunt. Tum quod media primis atq; postremis ita nexuit, vt nihil additum alteri, sed aptum ex se totum, & vno corpore videatur esse compositum. Illud quoq; mirabile in eo: Primò, quod non ita miscet personas quatuor, vt obscura sit earum distinctio. Et item, quod nihil ad populum facit actiorem, velut ex Tragœdia loqui: quod vcrsum Plauto frequentissimum est. Illud etiam inter cætera eius laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotijs delegerit ad scribendum. Nam, excepta

Hecyra,

Hecyra, in qua scribit Pamphili amorem, cæteræ quinq; binos adolescentulos habent. Illud vero tenendum est, post nouam Comœdiam Latinos multa fabularum genera protulisse, vt Togatas, à Scenicis atq; argumentis Latinis: Prætextatas, a dignitate personarum & Latina historia: Attellanas, à ciuitate Campaniæ, vbi actitatæ sunt plurimæ. Rhyntonicas, ab actoris nomine: Tabernarias, ab humilitate argumenti & styli: Mimos, à diuturna imitatione vilium rerum & leuium personarum. Inter Tragœdiam autem & Comœdiam cum multa, tum in primis hoc distat, quod in Comœdia mediocres fortunæ hominum, parui impetus, periculaq;, lætiq; sunt exitus actionum. At in Tragœdia omnia contraria, ingentes personæ, magni timores, exitus funesti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla vltima. In Tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quod in Tragœdia fugienda vita, in Comœdia capessenda, exprimitur. Postremò, quod omnis Comœdia de fictis est argumentis. Tragœdia sæpe ab historica fide petitur.

Fabularū genera: Togatæ. Prætextatæ Attellanæ Rhynton. Taberna. Tragœdiç &Comœdiæ differentia.

Latinæ fabulæ primò à Liuio Andronico scriptæ sunt ad cunctas res, etiam tunc, cum recentius idem Poeta & Actor fabularum suarum fuisset. Comœdia autem aut motoriæ sunt, aut stataria, aut mistæ: Motoriæ, turbulentæ, stataria, quietiores: mistæ ex vtroq; actu constantes.

Fabulæ à quo primum scriptæ.

Comœdia

Comœdia per quatuor partes diuiditur: Prologum, Protasin, Epitasin, Catastrophen. Prologus est velut præfatio quædam fabulæ, in quo solo licet præter argumentum aliquid ad populum, ex Poëtæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex actoris commodo loqui. Protasis, primus est actus, initiumq; dramatis. Epitasis, incrementum, processusq; turbarum, ac totius, vt ita dixerim, motus erroris. Catastrophe conuersio rerum est ad iucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum.

Comœdiæ partes: Prologus. Protasis. Epitasis. Catastrophe.

Comœdia est fabula, diuersa instituta continens, affectumq; ciuium ac priuatarum rerum, qua discitur, quid sit in vita vtile, quid contra euitandum. Hanc Græci sic definiere: Κωμωδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων, ἀκίνδυνος περιοχή.

Comœdia quid,

Comœdiam esse Cicero ait imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis. Comœdiæ autem à more antiquo dictæ, quia in vicis huiusmodi carmina initio agebantur apud Græcos, vt in Italia in compitalitijs ludicris, admisto pronunciationis modulo, quo, dum actus commutantur, populus detinebatur. Aut ἀπὸ τῶν κωμῶν, Hoc est, ab actu vitæ hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunarum: non in aulis regijs, vt sunt personæ Tragicæ. Comœdia verò, quia Poëma sub imitatione vitæ atq; similitudine compositum est, in gestu & pronunciatione consistit.

Ex alio rursus congesta.

Comœdiam apud Græcos dubium est, quis inuenerit primus: apud Latinos certum est, Comœdiam & Tragœdiam togatam primò Liuius Andronicus reperit: aitq; Comœdiam esse quotidianæ vitæ speculum. Nec iniuria: nam vt iuuentuti speculo veritatis lineamenta facilè per imagines colligimus: ita lectione Comœdiæ imitationem vitæ consuetudinisq; non ægerrimè animaduertimus.

Comœdiæ origo.

Huius autem originis ratio ab exteris ciuitatibus moribusq; peruenit, Athenienses namq; Atticam custodientes elegantiam, cum vellent malè viuentes notare, in vicos & compita ex omnibus locis læti alacresq; veniebant, ibiq; cum nominibus singulorum vitam publicabant: vnde nomen compositum, vt Comœdia vocaretur. Hæc autem carmina in pratis primùm mollibus agebantur: nec deerant præmia, quibus ad scribendum doctorum prouocarentur ingenia: sed & actoribus munera offerebantur, quo libentius iucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis vterentur. Caper namq; pro dono his dabatur, qui vitibus noxium animal habebatur, quo etiam Tragœdiæ nomen exortum est. Nonnulli autem ex amurca olei fece, quæ est humor aquatilis, Tragœdiam dici, vocariq; maluerunt. Qui ludi cum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi Comœdiarum Tragœdiarumq; Scriptores huius Dei velut patris, numen colere, venerariq; cœperunt. Cuius rei probabilis

Tragœdia.

ratio extitit: Ita enim carmina inchoat proferebantur, vt per ea laudes eius & facta gloriosa celebrari proferriq; constaret, tum paulatim fama huius artis increbuit. Thespis autem primus hæc scripta in omnium noticiam protulit, postea Æschylus secutus, exemplum publicauit: de quibus Horatius in arte Poëtica loquitur:

Thespis.

Æschylus.

Ignotum Tragicæ genus inuenisse Camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse Poëmata Thespis,
Quæ canerent agerentq;, peruncti fecibus ora.
Post hunc personæ, pallæq; repertor honestæ
Æschylus, & modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.
Successit vetus his Comœdia non sine multa
Laude: sed in vicium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. Lex est accepta, chorusq;
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquêre Poëtæ.
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausi deserere, & celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Fabula generale nomen est, eius duæ primæ partes sunt: Tragœdia & Comœdia. Si latina argumentatio sit, Prætextata dicitur. Comœdia autem multas species habet: Aut enim Palliata est, aut Togata, aut Tabernaria, aut Atellana, aut Mimus, aut Rhyntonica, aut Planipedia. Planipedia

Fabulæ partes.

Comœdiæ species.

autem dicta, ob humilitatem argumenti eius, ac vtilitatem actorum, qui non cothurno aut socco vtuntur in Scena, aut pulpito, sed plano pede, vel ideo quod non ea negocia continent, quæ personarum in turribus aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano aut humili loco personati primi egisse dicuntur Comœdiam Cincius & Faliscus. Tragœdiam Minutius & Prothonius. Omnium autem Comœdiarum scripta ex quatuor rebus omnino sumuntur, nomine, loco, facto, euentu. Nomine: vt Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco: vt Andria, Leucadia, Brundusina. Facto: vt Eunuchus, Asinaria, Captiui. Euentu: vt Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenus.

Cincius, Faliscus.

Comœdiarum formæ.

Comœdiarum formæ sunt tres: Palliatæ, Græcorum habitum ferentes, quas nonnulli Tabernarias vocant. Togatæ: iuxta formam personarum, habitum Togatum desiderantes. Attellaniæ: salibus & iocis compositæ, quæ in se non habent, nisi vetustam elegantiam.

Comœdiæ partes: Prologus & eius species.

Comœdia autem diuiditur in quatuor partes: Prologum, Protasin, Epitasin, Catastrophen. Prologus est prima dictio, à Græcis dicta πρόλογος id est, antecedens veram fabulæ compositionem elocutio. Eius species quatuor sunt: συναλικός, commendatitius, quo fabula vel Poeta commendatur. ἀναφορικός relatiuus, quo aut aduersario maledicta, aut gratiæ populo referuntur. ὑποπτικός: argumentatiuus, fabulæ argumentum exponens. μικτός: mistus, omnia hæc in se continens. Inter Prologum & Prologium, quidam hoc interesse voluerunt: quia Prologus est, vbi Poeta excusatur, aut fabula commendatur. Prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. Protasis est primus actus fabulæ, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem tenendam. Epitasis, inuolutio argumenti, cuius elegantia connectitur. Catastrophe, explicatio fabulæ, per quam euentus eius approbatur. In plerisq; fabulis ipsarum nomina priora ponebantur, quàm Poetarum: in nonnullis Poetarum, quàm fabularum, cuius moris diuersitatem antiquitas probat. Nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronunciabantur, antequam Poëtæ pronunciarentur, ne aliqua inuidia inscribendo deterreri possent. Cum autem per editionem multarum Poëtæ iam esset authoritas acquisita, rursus priora Poetarum nomina proferebantur, vt per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur.

Prologus. Prologium. Protasis. Epitasis. Catastrophe.

Actas diuersis ludis manifestum est inscribi. Nam ludorum quatuor sunt species, quos Curules ædiles munere publico curant. Megalenses: magnis Dijs consecrati, quos Græci μεγαλησίους appellant. Funebres: ad retinendum populum instituti, dum pompa funebri decreta in honorem patricij viri plenè instruitur. Plebei, qui pro salute plebis eduntur.

Megalenses ludi. Funebres. Plebei.

Apollinares.

Apollinares, Apollini consecrati. In scena duæ aræ poni solebant: dextera Liberi, sinistra eius Dei, cui ludi fiebant. Vnde Terentius in Andria ait:

Ex ara hac sume verbenas.

Vlysses palliatus. Personarum Comicarum amictus.

Hinc Vlyssem semper palliatum inducunt, siue quòd aliquando insaniam simulauit, quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire: seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusq; plurimum socijs profuit. Huius enim virtus erat animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis & Neoptolemi personæ Diademata habent, quamuis regalia sceptra nunquam tenuerunt, cuius argumenti probatio talis inducitur: quòd nunquam cum reliqua Græciæ iuuentute ad gerenda cum Troianis bella, Sacramenta coniurationis inierunt, nec vnquam sub Agamemnonis imperio fuerunt. Comicis senibus candidus vestitus inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Serui comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia: vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis pallijs veniunt. Læto vestitus candidus, ærumnoso obsoletus, purpureus diuiti, pauperi Phœniceus datur, militi Chlamys purpurea, puella habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varij coloris vtitur. Meretrici ob auaritiam luteum datur.

Syrmata

Syrmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur, quæ res à scenica luxuria instituta est: Eadem in luctuosis personis incuriam sui per negligentiam significant. Syrmata.

Aulæa quoq; in Scena in terra sternuntur, quòd pictus ornatus erat, ex Attalica regione Romam vsque perlatus, pro quibus Syperia ætas posterior accepit. Est autem minutum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur. Syperia.

Diuerbia histriones pronunciabant. Cantica verò temperabantur modis non à Poëta, sed à perito artis Musicæ factis. Neq; enim omnia ijsdem modis in vno cantico agebantur, sed sæpe mutatis, vt significant, qui tres numeros in comœdijs ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui huiusmodi modos faciebant, nomen in principio fabulæ, & scriptoris, & actoris superponebant. Huiusmodi autem carmina ad tibias fiebant, vt his auditis, multi ex populo ante discerent, quàm fabulam acturi Scenici essent, quàm à minò spectatoribus ipsis antecedens titulus pronunciaretur. Agebantur autem tibijs paribus, & imparibus, & dextris & sinistris. Diuerbia. Cantica.

Dextræ autem tibiæ sua grauitate seriam Comœdiæ dictionem pronunciabant: Sinistræ & Sarranæ acuminis leuitate iocum in Comœdia ostendebant. Vbi autem dextra & sinistra acta fabula inscribebatur, mistim ioci & grauitates denunciabantur. Tibiæ dextræ & sinistræ in Comœdijs.

AELII DONATI ERVDITISSIMI GRAMmatici Præfatio in Andriam Terentij.

COmœdia Andria cum palliata sit, de loco nomen accepit, & à Menandro prius, & nunc ab ipso Terentio, qui tum de Chrysíde loqueretur, sic ait: Hei vereor, ne quid Andria apportet mali: & hoc commune vocabulum est, & in Græca & in Latina lingua. Hæc maiori ex parte motoria est, continetq; actus amatorum adolescentium, & patrum piorum. Sunt ibi callidi serui, astutæ ancillæ, seueri senes, adolescentulæ liberales. In hac primæ partes senis Simonis sunt, secundæ Daui, tertiæ Chremetis, & deinceps reliquorum. Prologus in hac acer inducitur, & in aduersarios non mediocriter exasperatur: sed tamen id subtiliter, vt omnia lacessitus facere videatur, ac dicere. Hìc Protasis subtilis, Epitasis tumultuosa, Catastrophe penè Tragica, & tamen repentè ex his turbis in tranquillum peruenit. Hæc prima acta est ludis Megalensibus, M. Fuluio ædile, & M. Glabrione, Q. Minutio Valerio curulibus. Egerunt L. Attilius Latinus Prænestinus, & Lucius Ambiuius Turpio. Modos fecit Flaccus Claudij filius, tibijs paribus, dextris & sinistris: & est tota Græca edita, M. Marcello & Sulpitio COSS. Pronunciatag; est Andria Terentij ob incogni-

ob incognitum adhuc nomen Poëtæ, & minoris apud populum authoritatis ac meriti. Diuerbijs authenticis lepidè distincta est: & successu spectata prospero, hortamento Poëtæ fuit ad alias conscribendas. Initium autem πρωταλικὸν πρόσωπον, id est, aduentitiam personam recipit Sosiæ, propter euoluendam argumenti obscuritatem. Persona autem protatica ea intelligitur, quæ semel inducta in principio fabulæ, in nullis deinceps fabulæ partibus adhibetur. Annotandum sanè puellarum liberalium nullam orationem in proscenio induci in comœdia palliata, præter inuocationem Iunonis Lucinæ, quæ & ipsa quoq; post scenam fieri solet.

ARGVMENTVM EIVSDEM in eandem.

CHremes Atticus, pater Pasibulæ & Philumenæ, cum ex his duabus se Pasibulam perdidisse falsò crederet relictam Athenis, nec visam postea multo tempore, tanquam vnicam sibi putabat Philumenam, quam Charinus adolescens Atheniensis adamabat vnicè, & sibi petebat vxorem. Sed pater eam Pamphilo cuidam Simonis filio vltrò desponderat, qui Pamphilus contra sororem Chrysidis, ac peregrinam tum creditam, Pasibulam supra dictam alteram Chremetis filiam sub nomine Glycerij latenter sic amauit, vt ex ea filium susce-

 pisset,

pisset, insscio patre. Qua re intellecta commotus Simo pater Pamphili, dum per falsas nuptias tentat animum Pamphili, multis dolis à Dauo ipse deluditur seruo, periculoq; Charini & Pamphili motus error in fabula, vsq; ad eum finem ductus est, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat, & nodum fabulæ soluat, per quem agnita Pasibula recipitur à parentibus, & traditur Pamphilo amanti. Philumena verò Charino despondetur, & traditur exoptanti.

Perspecto argumento, scire debemus, hanc esse virtutem poëticam, vt à nouissimis argumenti rebus incipiens, initium fabulæ & originem narratiuè reddat spectatoribus: authoremq; præsentem sibi exhibeat, vbi finis est fabulæ. Hunc enim ordinem, & circulum Poëticæ artis, vel virtutis, non modo secuti sunt Tragici Comiciq; authores, sed Homerus etiam & Virgilius tenuerunt. Diuisionem actuum in Latinis fabulis internoscere, difficile est: caussam iam dudum demonstrauimus. Vnde autem, aut quo modo, quamuis ægrè, tamen intelligi distinguiq; possint, est operæprecium dicere. Principiò dicendum est, nullam personam egressam quinquies, vltra exire posse: sed illa re plerunq; decipimur, quod personam cum tacuerit, egressam falsò putamus, quæ nihilominus in proscenio tacens loquendi tempus expectat. Est igitur attentè animaduertendum, vbi, & quando, scena vacua sit ab omnibus

omnibus personis, vt in ea chorus vel tibicen audiri possit: quod cum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere. Confundit sæpe lectorem, id quòd persona in superiori scena desinens, & in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingressa: quod ipsum experientes statim dijudicant de rerum ac temporum quantitate. Potest enim fieri, vt & sit ingressa & egressa, quam praue credimus de proscenio non recessisse. Posse autem quinto egredi personam, & non necesse est dicimus, vt appareat vltra exire non posse. In Tragœdia & parcius exire, & solere pariter, & licere.

Primus Actus in Andria narrationem Simonis apud Sosiam continet argumenti, quod populus hac occasione perdiscit, mox querelam apud se Daui de domino, & eiusdem cum domino verba, & rursus eiusdem serui deliberationem, quid rerum gerat. Secundi Actus hæc sunt, Charini verba, primò cum Birria seruo, & pòst cum ipso Pamphilo de nuptijs: Pamphili sermo cum patre, dolo consentientis in nuptias: Birriæ verba, Daui callida oratio aduersus senem. Tertio actui hæc attribuuntur, Mysidis cum obstetrice colloquium, Dauo ac Simone audientibus, Partus Glycerij suspectus seni, & Daui apud eum fraudulenta sermocinatio, Simonis verba cum Chremete de nuptijs, Daui perturbatio ac Pamphili. Quartum actum per hæc intelligimus: Prima Charina verba sunt, indignantis, velut

velut fidem sibi non seruatam à Pamphilo, tum Mysidi verba apud Pamphilum, eiusdemq; questus, Daui administratio doli aduersus Chremetem. In quinto actu Simonis & Chremetis prope iurgium disputatio, tum detectio fallaciarum Daui, tum indignatio patris aduersus filium, tum Critonis interuentus, & per eum cognitis rebus in tranquillum res acta, ducentibus vxores, quas concupierant Pamphilo & Charino. Illud non commouere nos debet, quod in horum actuum distinctione videntur de proscenio non discessisse personæ quædam: sed tenere debemus, ideo Terentium vicinitatis mentionem fecisse in principio, vt modico receptu & adesse & abesse personam intelligamus. Nihil ergo secius factum est ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas fabulas diui serunt.

PHILIPPI MELANTHONIS PRAEFATIO.

NVllus est omnino Scriptor in Latina lingua, quem tantopere cognosci ediscíq; retulerit, atq; Terentium. Nam cum prima virtus in oratione sit, propriè loqui, nec proprij sermonis artificem meliorem Terentio habeamus, dignus planè est, in quo perdiscendo plurimum operæ ac studij ponamus.

ponamus. Et ab ijs, qui docent pueros, superstitiosam etiam diligentiam in hoc authore enarrando requiro. Primum, prodest monere, quæ Comœdiæ natura sit, quidue spectarint Comœdiarum authores, nomen vnde factum sit. Atq; hæc quidem Donatus copiosè exposuit. Conuenit autem inter omnes, authores comœdiarum voluisse, & communium morum & casuum exempla proponere, quibus velut admoniti, prudentius iudicemus de rebus humanis, & genere orationis facundiam locupletare. Quæ inculcabunt Professores eò diligentius, vt sciant pueri, quid ex illis petere debeant, quem fructum facturi sint legendis Comœdijs. Nam quò propius cognorint, & vim literarum, & vtilitatem, eò impensius iuuat discere. Porrò, nomen Comœdiæ factum est (vt plurimi dicunt) ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, id est, à comessatione, & ἀπὸ τῆς ᾠδῆς, id est, à carmine, vt sit conuiuiale carmen. Nam inconuiuijs primum iocoso quodam carmine, ciuium vitia iuuentus liberius taxabat: postea ars accessit, & theatrorum consuetudo. Aristoteles περὶ ποιητικῆς, de nominis origine aliter sentit, nec piget adscribere eius verba:

ὡς κωμῳδοὺς οὐκ ἀπὸ τοῦ κώμας λεχθέντας, ἀλλὰ τὴν κατὰ κώμας πλάνην ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεος.

Cætera donatus.

In recen-

In recensendis argumentis fabularum, consilium Poetæ summa cura exponendum est. Quorum personarum descriptiones in primis admirationem mereantur, in quibus locis plurimùm commoretur Poëta, vbi plurimum nervorum, plurimum eloquentiæ ostentet, quos locos ita commendent pueris, vt familiariter ament, & tanquam digitos suos norint. Et ob hanc causſam fabularum omnium argumenta veteri more in Protasin, Epitasin & Catastrophen, partiantur, vt distributa facilius assequatur iuuentus. Ferè autem fabulæ continent periculum quoddam. Nusquam enim consilio locus est, nisi in dubijs rebus. Neq; verò aliud est Comœdia, nisi humanorum consiliorum & euentuum imago quædam. In Andria periclitatur Pamphilus, vt Glycerio fidem promissam præstet, postquam patri per errorem pollicitus est, futurum se in eius potestate ac ductum quam vellet. Estq; hæc veluti σύστασις fabulæ. Consilia omnia, querelæ omnes, argumenta omnia huc referenda sunt: Et tota fabula similis est orationi generis suasorij. Nam variè de tota causa consultant senes, adolescentes, ac serui. Sed vt argumenta propius cernere queant pueri, ordine singulas partes referemus.

πρότασις, Propositio.

ἐπίτασις, Intentio.

καταστροφὴ. Conuersio.

Periculum ΠΡΟΤΑΣΙΣ.

CVm amaret Pamphilus Glycerium, eiq; fidem dedisset, ductum se esse vxorem, Pater, qui amare filium compererat, consilium capit abstrahendi eius à Glycerio, simulat se vxorem daturum, poscitq; vt ne filius id recuset. Is cum & patrem vereretur, & Glycerium deserere parum pium iudicaret, pendet animi, nec habet, quò se vertat: Ibi Dauus intelligens simulari rem à patre consulit heri li filio, vt polliceatur patri, se in eius potestate futurum: periculi nihil esse, quandoquidem simulentur nuptiæ. Filius obsequitur, quanquam ægrè, pollicetur patri ductum se quam vellet.

ΕΠΙΤΑΣΙΣ.

INterea spargitur de Pamphili nuptijs rumor: Rescisc unt mulierculæ, quibus cum Glycerio consuetudo erat. Et pater cum à filio quod voluerat, extorsisset, non iam simulat rem, sed seriam fabulam orditur. Chremetem orat, vt gnatam det vxorem filio suo. Facilè impetrat. Hic de Pamphilo actum fuit: maturare nuptias pater studet: Et filius pollicitus erat, se in patris potestate futurum esse. Quæso, quomodo ex his turbis se explicet? quid faciat Pamphilus? Hic Dauus, cuius imprudentia periculum contractum erat, cum dolis non succesisset Chremetem deterret à nuptijs, fidem faciens, amari aliam à Pamphilo.

ΚΑΤΑΣΤΡΟΦΗ.

AT pater rem vrget, & processisset, nisi casus, qui sæpe plus valet, quàm ratio, dubijs rebus opem

opem attulisset. Venit quispiam Crito, qui docet Glycerium Chremetis filiam esse, gratum omnibus nuncium. Nuptiæ ex sententia Pamphili conficiuntur. Vide ex quanto periculo, casu euaserit Pamphilus.

Est autem in more Terentio, in prima ferè scena longa narratione commemorare occasionem fabulæ: atq; eas narrationes plurimi fecerunt veteres. Sic in Andria exponit Pamphili amores, & patris consilium, quo is filium à Glycerio diuulsurus erat. In reliquis scenis pergit consilium exequi: Sunt aspersa narrationi illi primæ multa rhetorica ornamenta. Est enim mirabiliter aucta commemoratione morum, studiorum, sodalitij Pamphili, qua occasione Pamphilus deperire in Glycerium cœperit, vbi paterid primum deprehenderit. Hæc accuratè expendet professor: & velim hîc immodicè etiam anxium esse, πολυπραγμονῆρ interpretem. Est enim modis omnibus efficiendum, vt mirentur, vt ament hunc authorem pueri. Id ita fiet, si rectissimè intellexerint. Exigendum ab ipsis pueris, vt suo Marte argumenta fabularum condant, vt locos aliquot retexant, & pluribus exponant, & tanquam ceram refingant. Quæ exercitatio præterquam quod familiariorem hunc Poëtam facit, facundiam etiam alit. Finguntur hîc cordati senes, Dauus veterator. Honesta ac pia mente præditus adolescens Pamphilus. Verum vt Pamphili ingenium

ingenium rectius perspici posset, & vt aliquanto plus in fabula turbæ esset, confertur cum eo Charinus Pamphili dissimillimus, nihil moderatum in hoc, nihil consily: Contrà in illo moderatiora omnia pene quàm vel ætas poscit, vel sinit amor.

In primis mirentur eloquentiam Poëtæ in Pamphili querelis, in Senis narrationibus, consultationibus, & obiurgationibus: ab his exemplis, & verba & figuras Latini sermonis, & dicendi rationem assuescant petere adolescentes, felicius haud dubiè collocaturi operam, quàm si interea velut formicæ Indicæ aurum conueherent.

FABVLÆ INTERLOCVTORES.

SIMO	senex.
PAMPHILVS	adolescens.
DAVVS	seruus.
DROMO	lorarius.
SOSIA	libertus.
CHARINVS	adolescens.
BIRRIA	seruus.
CRITO	hospes.
CHREMES	senex.
GLYCERIVM	meretrix.
MYSIS	ancilla.
LESBIA	obstetrix.

IDIOMATA PERSONARVM PRÆCIPVARVM.

SIMO pius in filium, sed natura vehementior. Pamphilus pius in patrem, sed fideliter amans, & cordatus, vt adolescens. Dauus vafer, & spei pertinacis. Charinus simplex, ac nullius consilij. Birria Dauo dissimillimus, desperandi author. Crito pauper, sed ob probitatem impatiens contumeliæ. Chremes pius in filiam, alioqui Simonis dissimillimus, ingenio sedato & placido componens omnia. Mysis callida, & heræ amans.

RATIO NOMINVM.

SIMO, dictus est à specie: Simi enim ferè sunt iracundi. Chremes παρὰ τὸ χρέμτειν, quod senes tussi expurgent pectus. Pamphilus, à fideli amore. Charinus, à beneuolentia animi. Sosias, quod seruatus in bello. Dauus à patria, opinor & Birria, sicut & Mysis: nam Mysi, quemadmodum Phryges, seruile genus erat. Glycerium, à voluptate. Lesbia, à patria. Crito, quod controuersiam dirimat. Dromo, à cursu.

C. SVL

C. SVLPITII APOLINARIS PERIOCHA IN TERENTII ANDRIAM.

ARGVMENTVM IN ANDRIAM.

SOrorem falsò creditam meretriculæ,
Genere Andriæ, Glyceriũ viciat Pamphi-
Grauidaq; facta, dat fidem, vxorem sibi (lus:
Fore hanc, nam aliam pater ei desponderat,
Gnatam Chremetis: atq; vt amorem cõperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens, suus
Quid haberet animi filius, cognoscere.
Daui suasu non repugnat Pamphilus.
Sed ex Glycerio natum vt vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium insperatò agnitam,
Dat Pamphilo hanc, aliam Charino coniugẽ.

ACTA LVDIS MEGALENSIBVS, M. FVLVIO ET M. GLABRIONE AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGERVNT L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATTILIVS PRÆNESTINVS. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDII FILIVS, TIBIIS PARIBVS, DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRÆCA, EDITA M. MARCELLO CN. SVLPITIO COSS.

PROLOGVS.

Exordium quo excusat se, quare in Prologis litiget, quia scilicet aduersarius prouocarit. Narratio quid reprehenderit aduersarius.

POETA cùm primum animum ad scribendum adpulit,
Id sibi negotij credidit solum dari,
Populo vt placerent, quas fecisset fabulas:
Verùm aliter euenire multo intelligit:
Nam in Prologis scribundis operam abutitur:
Non qui argumentum narret, sed qui maleuoli
Veteris Poetæ maledictis respondeat.
Nunc quam rem vicio dent, quæso animum aduortite.

Menan-

Menander fecit Andriam, & Perinthiam:
Qui vtramuis rectè norit, ambas nouerit.
Non ita dissimili sunt argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factæ ac stylo:
Quæ conuenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atq; vsum pro suis.
Id isti vituperant factum, atq; in eo disputant, Confutatio à gnome.
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt næ intelligendo, vt nihil intelligant.
Qui quam hunc accusant, Mæuium, Plautum, Ennium Ah exemplo.
Accusant, quos hic noster autores habet:
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius, quàm istorum obscuram diligentiam.
Dehinc vt quiescant porrò, moneo, & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.
Fauete, adeste æquo animo, & rem cognoscite, Conclusio.
Vt pernoscatis, ecquid spei sit relliquum:
Posthac quas faciet de integro Comœdias,
Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

WBP Opole



ACTVS PRIMI, SCENA PRIMA.

SIMO senex, SOSIA seruus.
Iambici trimetri.

παρασκευὴ ad exponendum argumentum, & occasiones deliberationum. Exordium captat beneuolentiã à beneficijs heri, vt decuit aduersus libertum. Faceta & plena grauitatis interpellatio præbet occasionem gnomæ.

VOS isthæc intrò auferte, abite, Sosia
Adesdum, paucis te volo. SOSIA.
Dictum puta,
Nempe vt curentur recte hæc.
SI. Immò aliud. So. Quid est,
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
Si. Nihil istac opus est arte ad hanc rem quam paro:
Sed his, quas semper in te intellexi esse sitas,
Fide, & taciturnitate. So. Expecto quid velis.
Si. Ego postquam te emi à paruulo, vt semper tibi
Apud me iusta, & clemens fuerit seruitus,
Scis, feci è seruo, vt esses libertus mihi,
Propterea quod seruiebas liberaliter:
Quod habui summum precium, persolui tibi.
So. In memoria habeo. Si. Haud muto factum.
So. gaudeo,
Si tibi quid feci, aut facio, quod placet Simo, &
Id gratum fuisse aduersum te, habeo gratiam.
Sed mihi hoc molestum est: nam isthæc commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficij.

Propositio, quæ præbet occasionem periculis & deliberationib. secuturis.

Quin tu vno verbo dic, quid est, quod me velis?
Si. Ita faciam: hoc primum in hac re prædico tibi,
Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.
So. Cur simulas igitur? Si. Rem omnem à principio audies,
Eo pacto & gnati vitam, & consilium meum
Cognosces, & quid facere in hac re te velim.

Narratio altius repetens omnia.

Nam is postquam excessit ex ephebis Sosia,
Liberius viuendi fuit potestas: nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas, metus, magister prohibeant. So. ita est.

Primùm describitur ingenium personæ.

Si. Quod pleriq; omnes faciunt adolescentuli,
Vt animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos:
Horum ille nihil egregiè, præter cætera,
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter,
Gaudebam. So. Non iniuria: nam id arbitror

Epiphonema addit Sosia.

Adprime in vita esse vtile, vt NE QVID NIMIS.

S. Sic vita erat, facilè omnes perferre ac pati
Cum quibus erat cunq; vnà: his sese dedere,
Eorum obsequi studijs, aduorsus nemini,

Rursò addit Sosia Epiphonema.

Nunquam præponens se illis, ita vt facillimè
Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.
So. Sapienter vitam instituit, namq; hoc tempore

Legitur & huic vicinię, teste Donato.

OBSEQVIVM AMICOS, VERITAS ODIVM PARIT.

Si. Interea mulier quædam ab hinc triennium
Ex Andro commigrauit huc viciniæ,

Inopia

Inopia, & cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atq; ætate integra.
So. Hei vereor, ne quid Andria adportet mali.
Si. Primùm hæc pudicè vitam, parcè, ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans:
Sed postquam amans accessit, precium pollicens,
Vnus, & item alter, ita vt ingenium' ſt omnium
Hominum, à labore procliuè ad libidinem,
Accepit conditionem, dein quæstum occipit.
Qui tum illam amabant, fortè (ita vt fit) filium
Perduxêre illuc, vt vnà esset, meum.
Egomet continuò mecum: Certè captus est,
Habet. Obseruabam manè illorum seruulos
Venientes, & abeuntes, rogitabam: heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? Nam Andriæ
Illi, id erat nomen. So. Teneo. Si. Phædrum, aut Cliniam
Dicebant, aut Neiceratum (nam hi tres simul
Amabant) Eho, quid Pamphilus? quid? symbolum
Dedit, cœnauit: gaudebam. Item alio die
Quærebam, comperiebam nihil ad Pamphilum
Quicquam attinere: Enimuero spectatum satis
Putabam, & magnum exemplum continentiæ:
Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi,
Neq; commouetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere iam ipsum suæ vitæ modum.
Cum id mihi placebat, tum vno ore omnes omnia

Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes
Vltrò ad me venit, vnicam gnatam suam
Cum dote summa filio vxorem vt daret.
Placuit, despondi, hic nuptijs dictus est dies.
So. † Quid igitur obstat, cur non verè fiant? Si. aut-
Ferè in diebus paucis, quibus hæc acta sunt, (dies
Chrysis vicina hæc moritur. So. ô factum bene,
Beasti, metui à Chryside. Si. ibi tum filius
Cum illis qui amabant Chrysidem, vnà aderat fre-
Curabat vnà funus, tristis interim (quens
Nonnunquam conlacrumabat, placuit tum id mihi,
Sic cogitabam: Hic paruæ consuetudinis
Caussa, mortem huius fert tam familiariter,
Quid, si ipse amasset? quid hic mihi faciet patri?
Hæc ego putabam esse omnia humani ingenij,
Mansuetiq; animi officia. Quid multis moror?
Egomet quoq; eius caussa in funus prodeo,
Nihil suspicans etiam mali. So. Hem quid est?
Si. scies,
Effertur, imus. Interea inter mulieres,
Quæ ibi aderant, forè vnam aspicio adolescentulam,
Forma. So. Bona fortasse. Si. & vultu Sosia
Adeo modesto, adeo venusto, vt nihil supra.
Quia tum mihi lamentari prætet cæteras
Visa'st: & quia erat forma præter cæteras
Honesta & liberali, accedo ad pedissequas,

Alñ. Quid igitur obstat? Sed tum verè expungendum.

Quæ sit, rogo. Sororem esse aiunt Chrysidis.
Perculsit illicò animum: atat, hoc illud est,
Hinc illæ lacrumæ, hæc illa est misericordia.
So. Quàm timeo quorsum euadas. Si. funus interim
Procedit, sequimur. ad sepulchrum venimus,
In ignem imposita est, fletur. Interea hæc soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Satis cum periclo. Ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem, & cælatum indicat:
Accurrit, mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perdi-
tum?
Tam illa, vt consuetum facilè amorem cerneres,
Reiecit se in eum, flens, quàm familiariter.
So. Quid ais? Si. redeo inde iratus, atq; ægrè ferens.
Nec satis ad obiurgandum caussæ: dicerem,
Quid feci? quid commerui? aut peccaui pater?
Quæ sese in ignem inijcere voluit, prohibui,
Seruaui, honesta oratio est. So. recte putas,
Nam si illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?
Si. Venit Chremes postridie ad me, clamitans,
Indignum facinus, comperisse Pamphilum
Pro vxore habere hanc peregrinam: ego illud sedulò
Negare factum: ille instat factum: denique
Ita tum discedo ab illo, vt qui se filiam
Neget daturum. So. Non tu tibi gnatum? Si. ne hæc
quidem

Riuius contendit legendum esse: Percussit.

Satis vehemens causſa ad obiurgandum. So. Quid cedo?
Si. Tute ipſe his rebus finem præſcripſiſti pater,
Propè adeſt, cum alieno more viuendum mihi,
Sine nunc meo me viuere interea modo.
So. Quis igitur eſt relictus obiurgandi locus?
Si. Si propter amorem vxorem nolit ducere,
Ea primum ab illo animaduertenda iniuria eſt,
Et nunc id operam do, vt per falſas nuptias
Vera obiurgandi causſa ſit, ſi deneget:
Simul ſceleratus Dauus, ſi quid conſilij
Habet, vt conſumat nunc, cum nihil obſint doli,
Quem ego credo manibus pedibusq; obnixè omnia
Facturum, magis id adeo, mihi vt incommodet,
Quàm vt obſequatur gnato. So. Quapropter? Si. rogas?
Mala mens, malus animus: quem quidem ego ſi ſenſero:
Conclusio & summa consiliorū senis. Sed quid opus eſt verbis? ſin eueniat (quod volo)
In Pamphilo, vt nihil ſit moræ, reſtat Chremes,
Qui mihi exorandus eſt, & ſpero confore.
Adhortatio ad libertum. Nunc tuum eſt officium, has bene vt adſimiles nuptias.
Perterrefacias Dauum, obſerues filium,
Quid agat, quid cum illo conſilij captet. So. ſat eſt,
Curabo, eamus iam nunc intrò. Si. I præ, ſequar.

SIMO, DAVVS.

Iambici trimetri.

NON dubium eſt, quin vxorem nolit filius,
Ita Dauum modo timere ſenſi, vbi nuptias
Futuras eſſe audiuit: ſed ipſe exit foras.
Da. Mirabar, hoc ſi ſic abiret, & heri ſemper lenitas,
Verebar, quorſum euaderet:
Qui poſtquam audierat, non datum iri filio vxorem Tetramet.
ſuo,
Nunquam cuiquam noſtrum verbum fecit, neq; id ægrè tulit.
Si. At nunc faciet, neq; vt opinor, ſine tuo magno Iambici
malo. tetramet.
Da. Id voluit, nos ſi nec inopinanteis duci falſo gaudio,
Speranteis iam amoto metu, interea oſcitanteis op- Trochaici
primi, tetramet.
Ne eſſet ſpacium cogitandi ad diſturbandas nuptias:
Aſtutè. Si. Carnufex, quæ loquitur? Da. herus eſt, Iambici.
neq; præuideram.
Si. Daue. Da. hem, quid eſt? Si ehodum ad me.
Da. Quid hic vult? Si quid ais? Da. qua de re? Si. rogas?
Meum gnatum rumor eſt amare. Da. id populus curat ſcilicet.

Si. Hoccine agis, an non? Da. ego verò istuc. Si. sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris est: nam quod antehac fecit, nihil ad me attinet,
Dum tempus ad eam rem tulit, siui, animum vt expleret suum,
Nunc hæc dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.
Dehinc postulo siue æquom 'st, te oro Daue, vt rediat iam in viam.
Hoc quid sit? Omnes qui amant, grauiter sibi dari vxorem ferunt.
Da. Ita aiunt. Si. tum si quis magistrum cœpit ad eam rem improbum,
Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerunq; applicat.
Da. Non hercle intelligo. Si. Non? hem. Da. non,

DAVVS SVM, non Oedipus.

Redit ad trimetros. Si. Nempe ergo apertè vis, quæ restant me loqui?
Da. sane quidem.
Aliter, hisce. Si. Si sensero hodie quicquam in † his te nuptijs
Fallaciæ conari, quò fiant minus,
Aut velle in ea re ostendere, quàm sis callidus,
Verberibus cæsum in te pristinum Daue dedam vsq; ad necem, / pistrinum /
Rursus ad tetramet. Ea lege atq; omine, vt, si te inde exemerim, ego pro te molam.

Quid?

Quid? hoc intellextin? an nondum, etiam ne hoc quidem? Da. Immò callidè.
Ita aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione vsus es.
Si. Vbi vis facilius passus sim, quàm in hac re me deludier.
Da. Bona verba quæso. Si. irrides? nihil me fallis, sed dico tibi,
Ne tenere facias, neq; tu haud dicas, tibi non prædictum, caue.

ACTVS I. SCENA III.

Iambici trimetri.

DAVVS.

Initium de liberationum serui, & fabulæ πρόταση

ENimuero Daue, nihil loci est segnitiæ, neq; socordiæ,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptijs,
Quæ si non astu prouidentur, me, aut herum pessundabunt,
Nec quid agam certum 'st, Pamphilumne adiutem, an auscultem seni:
Si illum relinquo, eius vitæ timeo: sin opitulor, huius minas,
Cui verba dare difficile est: Primum iam de amore hoc comperit,
Me infensus seruat, ne quam faciam in nuptijs fallaciam:

Si sen-

Si senserit, perij, aut, si libitum fuerit, caussam cœperit,

Me, redundat. Quo iure, quaq; iniuria præcipitem me in pristinum dabit.

Trimetri. Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam, hæc Andria,

ista, redũdat. Siue ista vxor, siue amica est, grauida è Pamphilo est,

Audireq; eorum est operæpretium audaciam:
Nam inceptio est amentium, haud amantium:
Quicquid peperisset, decreuerunt tollere:
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Ciuem Atticam esse hanc: fuit olim quidam senex,
Mercator: nauem is fregit apud Andrum Insulam,
Is obijt mortem: ibi tum hanc electam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, paruam, fabulæ.
Mihi quidem hercle non fit verisimile, atq; ipsis commentum placet.
Sed Mysis ab ea egreditur, at ego hinc me ad forum, vt
Conueniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

ACTVS I. SCENA IIII.

Trochaici tetrametri catalectici.

Mysis, ancilla.

AVdiui Archillis, iamdudum Lesbiam adduci iubes.
Sane pol illa temulenta est mulier, & temeraria,
Nec

Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem:
Tamen eam adducam, importunitatem spectate aniculæ,
Quia compotrix eius est. Dij date facultatem obsecro. Tetramet. Iambicus.
Huic pariundi, atq; illi in alijs potius peccandi locũ.
† Sed quidnam Pamphilum examinatum video?
vereor quid siet. Nisi sed sit extra versum additum.
Opperiar, vti sciam nunquidnam hæc turba tristitiæ adferat.

ACTVS I. SCENA V.

Pamphilvs adolescens, Mysis ancilla. Iambici.

HOccine est humanum factum aut inceptum? Querela Pamphili, digna humano ingenio.
hoccine officium patris? Tetrametri.
My. Quid illud est? Pa. Proh Deũm atq; hominum fidem, quid est? si non hæc contumelia est?
Tetrametro accinitur monometer. Continet autem narrationem periculi
Vxorem decreerat dare sese mihi hodie: nonne oportuit
Præscisse me antè: nonne prius communicatum oportuit? Tetramet. Iambici.
My. Miseram me, quod verbum audio. Dimeter. Iambicus.
Pa. Quid Chremes? qui denegarat se commissurum mihi
Gnatam suam vxorem: id mutauit, quia me immutatum videt.

Tetramet. Iambici. Itane obstinatè operam dat, vt me à Glycerio miserũ abstrahat?

Dimeter. Quod si sit, pereo funditus.

Adeon' hominem esse inuenustum, aut infelicem quenquam, vt ego

Sum, proh Deũm atq; hominum fidem.

Tetrâmet. Iambici. Nullon' ego Chremetis pacto affinitatem effugere potero?

Quot modis contemptus, spretus? facta, transacta omnia: hem.

Repudiatus repetor: quamobrem? nisi si id est, quod suspicor,

Trochâici tetrametri. Aliquid monstri aiunt, ea quoniam nemini obtrudi potest,

Itur ad me. My. Oratio hæc me miseram exanimauit metu.

Dimeter Iamb. Pa. Nam quid ego dicam de patre? ah

Tantamne rem tam negligenter agere? præteriens modo

Tetramet. Iambici. Mihi apud forum, vxor tibi ducenda est Pamphile hodie, inquit, para,

Abi domum Id mihi visus est dicere: Abi cito, & suspende te.

Obstupui, censen' vllum verbum potuisse proloquî?

Aut vllam caussam, ineptam saltem, falsam, iniquam? obmutui.

Prius, vnica syllaba. Quod si ego rescissem id prius, quid facerem, si quis nunc me roget.

Aliquid

Aliquid facerem, vt hoc ne facerem. Sed nunc quid primum exequar?

Tot me impediunt curæ, quæ meum animum diuorsè trahunt,

Amor, misericordia huius, nuptiarum sollicitatio,

Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo vsq; adhuc,

Quæ meo cunq; animo libitum? fit, facere, ei ne aduorser? heu mihi,

Incertum est quid agam. My. Misera, timeo hoc incertum quorsum accidat.

Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa aduersum hunc loqui.

Dum in dubio est animus, paulo momento, huc, illuc, impellitur.

Pa. Quis hic loquitur? Mysis salue. My. ô salue Pamphile. Pa. quid agit? My. rogas?

Laborat è dolore, atq; ex hoc misera sollicita' fit, diẽ

Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ: tum autem hoc timet,

Ne deseras se. Pa. Hem, egone istuc conari queam?

Ego propter me, illam decipi miseram sinam,

Quæ mihi suum animum, atq; omnem vitam credidit?

Quam ego animo egregiè charam pro vxore habuerim,

Bene, & pudicè eius doctum, atq; eductum, sinam,

Coactum egestate ingenium immutarier?

Non faciam. My. haud vereor, si in te solo sit situm,

Trochaic. tetramet. Deliberatio, vtrum amori, an patri obtemperet.

Iam. tetra. Alias ad hoc.

γνώμη. & prudentissime cogitata occasio ad impellendum Pamphili animum.

Alias, dic. Trimet. Iambici.

Argumentatur, cur non deceat deferre Glycerium.

Sed vim vt queas ferre? P. Adeon' me ignauũ putas?
Adeon' porro ingratum, aut inhumanũ, aut ferum?
Vt neq; me consuetudo, neq; amor, neq; pudor
Commoueat, neq; commoneat vt seruem fidem?
My. Vnum hoc scio, hanc meritam esse, vt memor
esses sui.
Pa. Memor essem? ô Mysis Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. Iam fermè moriens me vocat:
Accessi: vos semotæ: nos soli, incipit:
Mi Pamphile, huius formam, atq; ætatem vides?
Nec clam te est, quàm illi vtræq; res nunc vtiles
Et ad pudicitiam, & ad tutandam rem sient.
Quod ego per hanc te dextram oro, & geniũ tuum,
Tuam, vnica syllaba est — Per tuam fidem, perq; huius solitudinem
Te obtestor, nẽ abs te hanc segreges, neu deseras,
Si te in germani fratris dilexi loco,
Siue hæc te solum semper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem:
Tuæ & Dei, monosyllaba sunt. — Bona nostra hæc tibi committo, & tuæ mando fidei:
Hanc mihi in manum dat: mors continuò ipsam occupat.
Conclusio deliberationis. — Accepi: acceptam seruabo. My. Ita spero quidem.
P. Sed cur tu abis ab illa? My. Obstetricem occerso.
Pa. propera, atq; audin'?
Verbum vnum caue de nuptijs, ne ad morbum hoc etiam. My. Teneo.

Prior Dimeter est Trochaicus, alter est Dimeter catalecticus, in penultima duas breues habens pro longa. Potest tamen totus esse Iambicus, si legas:

Adeo aut inuenustum, elidas u consonantem.

II. Iambicus tetrameter catalect. penul. longa.

III. Sunt duo trimetri catalectici, posterior habet duas breues in penultima pro longa.

IIII. Hic senarius perficitur initio proximæ scenæ: Quid ais Byrria?

ACTVS II. SCENA I.

Vt in fabula maior sit varietas, inseritur alter adolescens, dissimilis Pamphili ac parum cordatus.

CHARINVS adolescens, BYRRIA seruus, PAMPHILVS adolescens.

QVid ais Byrria? datumne illa hodie Pamphilo
Nuptum? Byr. sic est. Cha. qui scis? Byr. apud forum modo
De Dauo audiui. Ch. væ misero mihi, vt animus in
Spe atq; in timore vsq; antehac attentus fuit,
Ita postquam adempta spes est, lassus, cura confectus, stupet.
By. Quæso ædepol Charine, quando non potest id fieri,
Quod vis, id velis, quod possit. Ch. nihil aliud volo, nisi
Philumenam. By. ah quanto satius est,
Te id dare operam, qui istum amorem ex animo dimoueas tuo,

Tetrameter Iambici.

Dimeter est senarius, Monome.

Duo trochaici tetrametri.

Quàm id loquũ, quo magis libido frustra incendatur tua.

Iambici tetrametri. Ch. FACILE OMNES, cum valemus, recta consilia ægrotis damus.
Tu hìc sis, aliter sentias. By. age, age, vt lubet. Ch. sed Pamphilum
Video, omnia experiri, certum est, priusquam pereo. Byr. Quid hic agit?
Ch. Ipsum nunc orabo, huic supplicabo, amorem huic narrabo meum:

Alias, prodat. Credo impetrabo, vt aliquot saltem nuptijs proferat dies.
Interea fiet aliquid spero. Byr. Id aliquid nihil est, Ch. Byrria,
Quid tibi videtur? adeon? ad eum? Byr. Quid? nisi nihil impetres,
Vt te arbitretur sibi paratum mœchum, si illam duxerit:

Trimeter. Ch. Abi hinc in malam rem cum suspicione isthac, scelus.
Pa. Charinum video: salue. Ch. O salue Pamphile,

Alij: aduenio, ex Prisciano. Ad te venio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens.
Pa. Neq; pol consilij locum habeo, neq; auxilij copiam.

Trimeter trochaicus. Sed istuc quidnam est? Ch. Hodie vxorem ducis? Pa. Aiunt. Ch. Pamphile,

Si id

Si id facis, hodie postremum me vides. Pa. quid ita? Ch. hei mihi,
Vereor dicere: huic dic quæso Byrria. Byr. ego dicam. Pa quid est?
By. Sponsam hic tuam amat. Pa. næ iste haud mecum sentit, ehodum dic mihi,
Nunquid nam amplius tibi cum illa fuit Charine? Ch. ah Pamphile
Nihil. Pa. quàm vellem. Ch. nunc te per amicitiam, & per amorem obsecro,
Principio vt ne ducas. Pa. dabo equidem operam. Ch. sed si id non potes,
Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. Pa. cordi? Ch. saltem aliquot dies
Profer, dum proficiscor aliquò, ne videam. Pa. audi nunc iam:

Si diuidit iam, versus constat.

Ego Charine neutiquam officium esse liberi puto,
Iambici tetrametri, nisi elidas u in postulare.
Cum is nihil promereat, postulare id gratiæ adponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quàm tu adipiscier.
Ch. Reddidisti animum. P. nunc si quid potes, aut tu, aut hic Byrria,
Facite, fingite, inuenite, efficite, qui detur tibi.
Ego id agam mihi qui ne detur. Ch. sat habeo.
Pa. Dauum optumè
Video: cuius consilio fretus sum. Ch. haud at tu hercle quidquam mihi,

Trochaici In opus elidituꝛ s.

Nisi ea, quæ nihil † opus sunt scire, fugin' hinc? By. ego vero, ac lubens.

ACTVS II. SCENA II.

Trochaici tetrametri.

DAVVS, CHARINVS, PAMPHILVS.

Dauus dat consilium quod secus cadit, ac speraverat: Et Pamphilo laqueum iniicit, vnde postea consilium explicare non potest sed casus explicat, vt sæpe fit in communi vita: Idq; voluit Poeta significare

DI boni, boni quid porto? sed vbi inueniam Pamphilum: Vt metum, in quo nunc est, adimam, atq; expleam animum gaudio? Ch. Lætus est, nescio quid. Pa. nihil est, nondum hæc resciuit mala. Da. Quem ego nunc credo, si iam audierit sibi paratas nuptias. Ch. Audin' tu illum? Da. toto me oppido exanimatum quærere, Sed vbi quæram? aut quo nunc primum intendam? Ch. cessas alloqui. Da. Abeo. Pa. Daue ades, resiste. Da. quis homo est, qui me? ô Pamphile, Teipsum quæro, euge ô Charine: ambo oportunè: vos volo. Pa. Daue, perij. Da. Quin tu hoc audi. Pa. interij. Da. quid timeas scio. Ch. Mea quidem hercle in dubio vita est. Da. & quid tu scio. Pa. Nuptiæ mihi Da. & id scio. Pa. hodie Da. obtundis, tametsi intelligo. Id

Id paues, ne ducas tu illam: tu autem vt ducas. Ch. rem tenes. Pa. Istuc ipsum. Da. atq; istuc ipsum, nihil periclì est: me vide. Pa. Obsecro te, quamprimum hoc me libera miserum metu. Da. hem, Libero: vxorem tibi iam non dat Chremes. Pa. qui scis? Da scio. Tuus pater modo me prehendit: ait tibi vxorem dare se Hodie, item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus. Continuò ad te properans percurro ad forum, vt dicam tibi hæc. Vbi te non inuenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum. Circumspicio, nusquam. forte ibi huius video Byrriam: Rogo: negat vidisse, mihi molestum, quid agam, cogito. Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit suspicio: hem, Paululum obsoni, ipsus tristis, de improuiso nuptiæ? Ch. Non cohærent. Pa. quorsum nam istuc? Da. egomet continuò ad Chremem. Cũ illo aduenio, solitudo ante ostium: iam id gaudeo. Ch. Recte dicis. Pa. perge. Da. maneo: interea introire neminem.

Tuus, vnica syllaba est.

In suspicio, antepenultima producitur.

Introire trisyllabũ est.

Video, exire neminem, matronam nullam in ædibus.
Nihil ornati, nihil tumulti: acceſſi, intro aſpexi. Pa. ſcio
Magnum ſignum. Da. num videntur hæc conuenire nuptijs?
Pa. Non opinor Daue. Da. opinor, narras? non recte accipis.
Certa res eſt. etiam puerum inde abiens conueni Chremi,
Olera & piſciculos minutos ferre obulo in cœnam ſeni.
Ch. Liberatus ſum Daue hodie tua opera. Da. ac nullus quidem.
Ch. Quid ita? nempe huic prorſus illam non dat. Da. ridiculum caput.
Quaſi neceſſe ſit, ſi huic non dat, te illam vxorem ducere,
Niſi vides, niſi ſenis amicos oras, ambis. Ch. bene mones.
Ibo: etſi hercle ſæpe iam me ſpes hæc fruſtrata eſt, Vale.

ACTVS II. SCENA III.

Trochaici tetrametri catalectici.

PAMPHILVS, DAVVS.

QVid igitur ſibi volt pater? cur ſimulat? Da. ego dicam tibi.
Si id ſuccenſeat nunc, quia non det tibi vxorem Chremes,

Ipſus ſibi eſſe iniurius videatur: neq; id iniuria: In Ipſus eliditur s.
Prius, quam tuum, vt ſeſe habeat, animum ad nuptias perſpexerit.
Sed ſi tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet:
Tum illæ turbæ fient. Pa. quid vis, patiar: D. pater eſt Pamphile.
Difficile eſt, tum hæc ſola eſt mulier, dictum ac factum, inuenerit
Aliquam cauſſam, quamobrem eijciat oppido. Pa. (a)
eijciat? Da. cito.
Pa. Cedo igitur, quid faciam Daue? Da. dic te ducturum. Pa. hem. Da. quid eſt?
Pa. Egone dicam? D. cur non? P. nunquam faciam. Iamb. tri.
D. Ne nega.
Pa. Suadere noli. D. ex ea re quid fiat, vide.
P. Vt ab illa excludar, huc concludar. D. non ita eſt.
Nempe hoc ſic eſſe opinor dicturum patrem,
Ducas volo hodie vxorem: tu, ducam, inquies: Omnia, ſupereſt.
Cedo, quid iurgabit tecum, hîc reddes omnia,
Quæ nunc ſunt certa ei conſilia, incerta vt fient,
Sine omni periculo: nam hocce haud dubium eſt, quin Chremes
Tibi non det gnatam, nec tu ea cauſſa minueris
Hæc quæ facis, ne is ſuam mutet ſententiam.
Patri dic velle: vt cum velit tibi iure irasci, nõ queat.
Nam quod tu ſperas, propulſabo facilè. vxorem his moribus Iamb. tet.

v, eliditur. Potius, dissyllabum est.

Dabit nemo, inueniet inopem potius, quàm te corrumpi sinat.
Sed si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris,

Alias, aliam vide, pyrrichus est. Alias, ab illa.

Alia ociosus quæret: interea aliquid acciderit boni.
Pa. Itan' credis? Da. haud dubium id quidem est.
Pa. vide quod inducas. Da. quin taces.
Pa. Dicam. puerum autem ne vereare mihi esse ex illa, cautio est:
Nam pollicitus sum susceperturum. Da. ô facinus audax. Pa. hanc fidem
Sibi, me obsecrauit, qui se sciret non deserturum, vt darem.
Da. Curabitur. sed pater adest. caue te esse tristem sentiat.

(a) Duæ syllabæ desunt. Forte scriptum erat: Faciam Daue. Et quoniam sequitur nomen personæ, lector putauit idem bis positum.

ACTVS II. SCENA IIII.
Iambici trimetri.

SIMO, DAVVS, PAMPHILVS.

REuiso, quid agant, aut quid captent consilij.
Da. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges:
Venit meditatus alicunde: ex solo loco
Orationem sperat inuenisse se,
Qua differat te: proin' tu face, apud te vt sies.

Pa. Modo

Pa. Modo vt possim. Da. Crede mihi hoc inquam Pamphile.
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Vnum esse verbum, si te dices ducere.

ACTVS II. SCENA V.
Iambici trimetri.

BYRRIA, SIMO, DAVVS, PAMPHILVS.

HErus me, relictis rebus, iussit Pamphilum
Hodie obseruare, vt, quid ageret de nuptijs,
Scirem. id propterea nunc hunc venientem sequor.
Ipsum adeo præstò video cum Dauo. hoc agam.
Si. Vtrunq; adesse video. D. hem serua. S. Pamphile,
Da. Quasi de improuiso respice ad eum. Pa. ehem pater.
Da. Probe. Si. hodie vxorem ducas, vt dixi, volo.
By. Nunc nostræ parti timeo, quid hic respondeat.
P. Neq; istic, neq; alibi tibi vsquam erit in me mora. In istic, elidit.
By. hem.
Da. Obmutuit. By. quid dixit? facis vt te decet,
Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
Da. sum verus. By. herus quantum audio, vxore excidit.
Si. I iam nunc intrò, ne in mora, cum opus sit, sies.
P. Eo. By. nullane in re esse homini cuiquam fidem?
Verum illud verbum' est, volgo quod dici solet.
OMNES sibi malle melius esse, quàm alteri.

Ego

Ego illam vidi virginem: forma bona,
Memini videre: quo æquior fum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illam amplecti maluit.
Renunciabo, vt pro hoc malo mihi det malum.

ACTVS II. SCENA VI.

Iambici trimetri.

DAVVS, SIMO.

HIc nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, & ea me hic restitisse gratia.
Si. Quid Dauos narrat? Da. æquè quidquam nunc quidem.
Si. Nihilne? hem. Da. nihil prorsus. Si. atqui expectatam quidem.
D. Præter spem euenit: sentio: hoc malè habet virũ.
Si. Protinè es mihi verum dicere? Da. nihil facilius.
Si. Num illi molestæ quidpiam hæ sunt nuptiæ
† Propter hospitæ huiusce consuetudinem?
Da. Nihil hercle: aut si adeo biduì, aut triduì est
Hæc sollicitudo, nostin'? deinde desinet:
Etenim eam secum rem recta reputabit via.
Si. Laudo. Da. dum licitum est ei, dumq; ætas tulit,
Amauit, tum id clam: cauit, ne vnquam infamæ
Ea res sibi esset, vt virum sortem decet:
Nunc vxore opus est: animum ad vxorem adpulit.
S. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.
D. Nihil propter hanc rem: sed est quod succenset tibi.

Hic versus videtur depravatus, inverso dictionum ordine. Constabit si legas: Huiusce propter consuetudinem hospitæ.

Rivius: succensat tibi.

Si. Quid

Si. Quidnam? est? Da. puerile est. Si. quid est? Da. nihil. Si. quin dic, quid est.
D. ait nimirum parcè facere sumtũ. Si. me ne? D. te.
Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem:
Num filio videtur vxorem dare?
Quem, inquit: vocabo ad cœnam † meorum æqualium
Potissimum nunc? &, quod dicendum hic fiet,
Tu quoq; perparcè nimium, non laudo Si. tace.
Da. Commouì. Si. ego, istæc recte vt fiant, videro.
Quidnam hoc rei est? quidnam hic vult veterator sibi?
Nam si hic mali est quidquam, hem illic est huic rei caput.

Si legas: Quid id est? aut, Quidnam est? versus constabit. Ait, vnica syllaba est Meorum, dissyllabũ est.

Rei, monosyllabum est.

ACTVS III. SCENA I.

Iambici trimetri.

MYSIS, SIMO, DAVVS, LESBIA, GLYCERIVM.

ITa pol quidem res est, vt dixit Lesbia:
Fidelem haud fermè mulieri inuenias virum.
S. Ab Andria est ancilla hæc, quid narras? D. ita est.
My. Sed hic Pamphilus. S. quid dicit? My. firmauit fidem. S. hem.
Da. Vtinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.
My. Nam quod peperisset, iussit tolli. Si. ô Iuppiter
Quid ego audio? actum' est, siquidem hæc vera prædicat.

In sed, videtur elidi d, aut certè e. Error senis reddet actionem etiam magis variã.

Les. Bo-

Les. Bonum ingenium narras adoleſcentis. My. optimum.
Sed ſequere me intro, ne in mora ibi ſies. Le. ſequor.
Da. Quod remedium nunc huic malo inueniam?
S. quid hoc?
Adeon' es, demens? ex peregrina? iam ſcio, ah
In ſtolidus eliditur s in fine. Vix tandem ſenſi: ſtolidus. Da. quid hic ſenſiſſe ait?
Si. Hæc primum adfertur iam mihi ab hoc fallacia:
Hanc ſimulant parere, quo Chremetem abſterreant.
Gl. Iuno Lucina fer opem, ſerua me obſecro.
Si. Hui, tam cito? ridiculum, poſtquam ante oſtium
Me audiuit ſtare, adproperat. non ſat commode
Diuiſa ſunt temporibus: tibi Daue hæc. Da. mihin'?
Si. Num immemor es diſcipuli? Da. ego, quid narras, nescio.
Si. Hiccine me ſi imperatum in veris nuptijs
Adortus eſſet, quos mihi ludos redderet?
Huius, mo noſyllabū eſt. Nunc huius periclo ſit: EGO IN PORTV NAVIGO.

ACTVS III. SCENA II.

LESBIA, SIMO, DAVVS.

Iam trim. tres quib9 accinūtur duo trochaici. ADhuc Archillis, quæ adſolent, quæq; oportet
Signa ad ſalutem eſſe, omnia huic eſſe video.
Nunc primam fac, iſtæc vt lauet: poſt deinde,
Quod iuſſi ei dare bibere, & quantum imperaui,
Date: mox ego huc reuertar.
Percaſtor ſcitus puer natus eſt Pamphilo. Dime cat.
Deos quæſo, vt ſit ſuperſtes, quandoquidem ipſe eſt ingenio bono, Iamb. tri. Iamb. tet.
Cumq; huic veritus eſt optume adoleſcenti facere iniuriam.
Si. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te eſſe ortum? Da. quidnam id eſt?
S. Non imperabat coram, quid opus facto eſſet, puerperæ: Puerperæ, triſyllabū eſt.
Sed poſtquam egreſſa eſt, illis, quæ ſunt intus, clamat de via.
O Daue, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor eſſe, quem tam apertè fallere incipias dolis?
Saltem accuratè, vt metui videar, certè, ſi reſciuerim.
Da. Certè hercle nunc hic ſe ipſus fallit, haud ego.
Si. edixin' tibi?
Interminatus ſum, ne faceres: num veritus? quid rettulit? Iamb. tri.
Credon' tibi hoc, nunc peperiſſe hanc è Pamphilo? Iamb. tet.
Da. Teneo, quid erret: quid ego agam, habeo.
Si. quid taces?
D. Quid credas? quaſi non tibi renunciata ſint hæc, ſic fore.
Si. Mihin', quiſquam? Da. eho, an tute intellexti hoc adſimularier? Si. irrideor.

Da. Renunciatum est: nam qui istæc tibi incidit suspicio?

Si. Quî? quia te noram. Da. quasi tu dicas, factum id consilio meo.

Trochaici Tetramet. Si. Certè enim scio. Da. non satis me pernosti etiam, qualis sim Simo.

Si. Egone te? Da. sed, si quid narrare occepi, continuò dari

Iamb. tet. Tibi verba censes. Si falsò. Da. itaq; hercle nihil iam mutire audeo.

Huic versui deest syllaba, nam est scazon. Si. Hoc ego scio vnum, neminem peperisse hîc. Da. intellextin'?

Sed nihilo secius mox deferrent puerum huc ante ostium.

Trochaici tetrametri.

Id ego iam nunc tibi here renuncio futurum, vt sis sciens:

Ne tu hoc posterius mihi, Dauî factum consilio, aut dolis,

Prorsus à me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo.

Si. Vnde id scis? Da audiui, & credo. Si. multa concurrunt simul.

Qui coniecturam hanc nunc facio. iam primum hæc se è Pamphilo

Grauidam dixit esse, inuentum est falsum, nunc postquam videt

Nuptias domi apparari, missa est ancilla illicò Obste-

Obstetricem accersitum ad eam, & puerum vt adferret simul.

Da. Hoc nisi fit, puerum vt tu videas, nihil mouentur nuptiæ. Aliàs, merentur.

Si. Quid ais? cum intellexeras

Id consilij capere, cur non dixti extemplò Pamphilo? Trochaic. dimet. catalect.

Quis igitur eam ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem Rursus trochaici.

Scimus, quàm miserè hanc amarit, nunc sibi vxorem expetit.

Postremò id mihi da negoti, tu tamen idem has nuptias

Perge facere ita, vt facis? & id spero adiuturos Deos.

Si. Immò abi intrò, ibi me operire, & quod parato opus est, para.

Non impulit me, hæc nunc omnino vt crederem.

Atq; haud scio, an, quæ dixit sint vera omnia:

Sed parui pendo: illud mihi multo maximum' est,

Quod mihi procliuius? est ipsius gnatus, nunc Chremem

Conueniam: orabo gnato vxorem: si impetro, Iamb. tet. scazon catalecticus.

Quid alias malim, quàm hodie has fieri nuptias?

Nam gnatus, quod pollicitus est, haud dubium? est mihi,

Si nolit, quin eum meritò possim cogere.

Atq; adeo in ipso tempore eccum ipsum obuiam.

ACTVS III. SCENA III.

Iambici tetrametri.

SIMO, CHREMES, ambo senes.

Planè rhetorica sed num deliberatio & disputatio.

IVbeo Chremetem. Ch. oh, teipsum quærebam.
Si. & ego te. Ch. optatò aduenis,
Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viso, tune, an illi insaniant.
Si. Ausculta pauca: & quid ego te velim, & tu quod quæris, scies.

Iambi. tri. Propositio, in qua petitio est argumentis ab amicitia sumptis.

Ch. Ausculto, loquere quid velis.
Si. Per ego te Deos oro, & nostram amicitiam Chreme,
Quæ incepta à paruis cum ætate accreuit simul,
Perq; vnicam gnatam tuam, & gnatum meum,
Cuius tibi potestas summa seruandi datur,
Vt me adiuues in hac re, atq; ita, vti nuptiæ
Fuerant futuræ, fiant. Ch. Ah, ah, ne me obsecra:
Quasi hoc te orando à me impetrare oporteat.

Obiectio.

Alium esse censes nunc me, atq; olim cum dabam?
Si in re est vtriq;, vt fiant, accersi iube.
Sed si ex ea re plus mali est, quàm commodi
Vtriq;: id oro te, in commune vt consulas,
Quasi illa tua sit, Pamphiliq; ego sim pater.
Si. Immò ita volo, itaq; postulo vt fiat, Chreme:

Dilutio.

Neq; postulem abs te, ni ipsa res moneat. Ch. quid est?
Si. Iræ

Si. Iræ sunt inter Glycerium, & gnatum. C. audio.
Si. Ita magnæ, vt sperem posse auelli. Ch. fabulæ.
Si. Profectò sic est. sic hercle vt dicam tibi.

Ratio consilij Simonis, & dilutionis confirmatio.

AMANTIVM IRAE amoris redintegratio est.
Si. Hem, id te oro, vt ante eamus, dum tempus datur,
Dumq; eius libido occlusa est contumelijs,
Priusquam harum scelera, & lachrimæ confictæ dolis,
Reducant animum ægrotum ad misericordiam.
Vxorem demus, spero consuetudine,
Et coniugio liberali deuinctum Chreme,
Dehinc facilè ex illis sese emersurum malis.

Emergere, actiuè. In illum, elicitur l.

Ch. Tibi ita hoc videtur: at ego non posse arbitror,
Neq; illum hanc perpetuò habere, neq; me perpeti.
S. Qui scis ergo istuc, nisi periculum feceris?
Ch. At istuc periculum in filia fieri, graue est.
Si. Nempe incommoditas deniq; huc omnis redit,
Si eueniat, quod Dij prohibeant, discessio.
At si corrigitur, quot commoditates, vide:
Principio amico filium restitueris:

Conclusio habet collationem commodorum.

Tibi generum firmum, & filiæ inuenies virum.
Ch. Quid istuc? si ita istuc animum induxti esse vtile,
Nolo tibi vllum commodum in me claudier.
S. Meritò te semper maxumi feci Chreme.

Iambici tetrametri catalecti.

Ch. Sed quid ais? Si. quid? Ch. qui scis eos nunc discordare inter se?
Si Ipsus mihi Dauos, qui intumus est eorum consilijs, dixit:

Et is mihi suadet, nuptias quantum queam vt maturem.
Num censes faceret, filium nisi sciret eadem hæc velle?
Tute adeo iam eius audies verba. Heus euocate huc Dauom.
alias, atq; † Sed eccum video ipsum foras exire.

ACTVS III. SCENA IIII.

DAVVS, SIMO, CHREMES.

AD te ibam. Si. quidnam est?
Da. Cur non accersitur? iam aduesperascit. Si. Audin' tu illum?
Ego dudum nonnihil veritus sum Daue abs te, ne faceres idem,
Quod vulgus seruorum solet, dolis vt me deluderes,
Propterea quod amat filius. Da. egon' istuc facerem? Si. credidi.
Idq; adeo metuens vos cælaui, quod nunc dicam.
Da. quid? Si. scies.
Nam propemodum habeo iam tibi fidem. Da. tandem cognosti, qui siem.
Si. Non fuerant nuptiæ futuræ. Da. quid non? Si. sed ea gratia
Aut elidi- tur u in quiui, aut c in istuc. Simulaui, vos vt pertentarem. Da. quid ais? Si. sic est res. Da. vide,
Nunquam quiui ego istuc intelligere, vah consilium callidum.

Si. Hoc

Si. Hoc audi, vt hinc te introire iussi, opportunè hic fit mihi obuiam.
Da. Hem, numnam perimus? Si. narro huic, quæ tu dudum † narrasti mihi.
Da. Quidnam audio? Si. gnatam vt det oro, vixq; id exoro. Da. occidi.
Si. Hem, quid dixti? Da. optumè inquam factum. Si. nunc per hunc nulla est mora.
Ch. Domum modo ibo: vt apparentur, dicam: atq; huc renuncio.
Si. Nunc te oro Daue, quoniam solus mihi has effecisti nuptias.
Da. Ego vero solus. Si. corrigere mihi gnatum porro enitere.
Da. Faciam hercle sedulò. Si. potes nunc, dum animus irritatus est.
Da. Quiescas. Si. Age igitur: vbi nunc est ipsus? Da. mirum, ni domi est.
Si. Ibo ad eum, atq; eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam idem illi. Da. nullus sum.
Quid causæ est, quin hinc in pristinum recta proficiscar via? pristinum
Nihil est preci loci relictum: iam perturbaui omnia:
Herum fefelli: in nuptias conieci herilem filium:
Feci hodie, vt fierent, insperante hoc, atq; inuito Pamphilo.
Hem astutias: quod si quiessem, nihil euenisset mali.

G 4 Sed

Hem, pendet à priore Versu. Alias, narro huic
Trochaic. tetrameter catalect. Rursus, octonarij iamb.
Alias, itidem.
In quibus, eliditur s.
Mirifica imago cõsiliorũ plurimorũ in vita, cum secus cadunt optimè deliberata.

Sed eccum ipsum video, occidi. Dimet. Iamb.
Vtinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem. Troch. tetram. catalect.

ACTVS III. SCENA V.

PAMPHILVS, DAVVS.

Iambici tetrametri.

Epitasis. Querela Pamphili, quod serui consilium secutus sit.

VBI illic scelus est, qui me perdidit? Da. Perij.
Pa. atq; hoc confiteor,
Iure obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nulli consili
Sum. seruon' fortunas meas me commisisse futili?
Ergo precium ob stulticiam fero: sed inultum id nunquam auferet.
Da. Posthac incolumem sat scio fore me, hoc nunc si deuito malum.
Pa. Sed quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo
Qui sum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, scio. Da. nec quidem me, atq; id ago sedulò,
Dicam aliquid iam inuenturum, vt huic malo aliquam producam moram. Pa. oh.
Da. Visus sum. Pa. ehodum bone vir, quid ais? viden' me tuis consilijs
Miserum impeditum esse. Da. at iam expediam.
Pa. expedies? Da. certè Pamphile.

Pa. Nempe

Pa. Nempe vt modo. Da. immò melius spero.
Pa. oh, tibi ego vt credam furcifer?
Tu rem impeditam, & perditam, restituas? hem Hem, additur extra metrū.
quo fretus siem,
Qui me hodie ex tranquillissima re conieciſti in nuptias.
An non dixi hoc esse futurum? Da. dixti. Pa. quid meritus? Da. crucem:
Sed sine paululum ad me redeam: iam aliquid dispiciam. Pa. hei mihi.
Cum non habeo spacium, vt de te sumam supplicium, vt volo:
Namq; hocce tempus, præcauere mihi me, haud te vlciſci sinit.

ACTVS IIII. SCENA I.

CHARINVS, PAMPHILVS adolescentes, DAVVS.

Hic est Iambicus tetr. Cretici dimetri. ὑστερόλογον. à qua Charinus ordi tur querelam, & expostulationem, quæ tantum addi tur, vt plus motu um esset in fabula.

HOccine credibile est, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam vt siet,
Vt malis gaudeant, atq; ex incommodis
Alterius sua comparent vt commoda? ah
Id ne est verum: immò id genus hominum est pessumum,
In denegando modo queis pudor est paululum:
Post vbi tempus promissa est iam perfici,
Tum necessariò se aperiunt, & timent,
Et tamen res cogit denegare, illi

Cretici 4.

Et hic pro quarto ponitur iambicus Trochaic. Tetramet. Catalect.

Tum impudentissima eorum oratio est,
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus
Proximus sum egomet mihi, attamen vbi fides?
Si roges, nihil pudet, hîc vbi opus est,
Non verentur: illic, vbi nihil opus est, ibi verentur?
Sed quid agam? adeamne ad eum, & cum eo iniuriam hanc expostulem.
Ingeram mala multa: atq; aliquis dicat, nihil promoueris,
Multum: molestus certè ei fuero, atq; animo morem gessero.
Pa. Charine, & me & te imprudens, nisi, quid Dij respiciunt, perdidi.

Græcorum est, ὑπάγερ.

Ch. Itane imprudens? tandem inuenta est caussa, soluisti fidem.
Pa. Qui tandem? Ch. etiam nunc me subducere istis dictis postulas?
Pa. Quid istuc est? Ch. postquam me amare dixi, complacita est tibi.

Trochaici tetrametri.

Heu me miserum, cum tuum animum ex animo spectaui meo.
Pa. Falsus es. Ch. nonne tibi satis esse hoc visum solidum? st gaudium,
Nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres,
Habeas. Pa. habeam? ah nescis quantis in malis verser miser,

Iamb. tri.

Quantasq; hic suis consilijs mihi confecit sollicitudines

Meus

Meus carnifex. Ch. quid? istuc tam mirum est, de te si

In istuc, eliditur e.

Exemplum capit? Pa. haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
Ch. Scio, cum patre altercasti dudum, & is nunc propterea tibi
Succenset, nec te quiuit, hodie cogere, illam vt duceres.

Iambicus. Tetramet.

Pa. Immò etiam, quo tu minus scis ærumnas meas.
Hæ nuptiæ non apparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam vxorem dare.
Ch. Scio, tu coactus tua voluntate es. Pa. mane,
Nondum etiam scis. Ch. scio equidem illam ducturum esse te.
P. Cur me enecas? hoc audi, nunquam destitit
Instare, vt dicerem me esse ducturum patri,
Suadere, orare, vsq; adeo donec perpulit.
Ch. Quis homo istuc? Pa. Dauos. Ch. Dauos? Pa. interturbat. Ch. quamobrem? Pa. nescio,

Iamb. tet.

Nisi mihi Deos satis scio fuisse iratos, quâ auscultauerim.

Trimetri rursus.

Ch. Factum? st hoc Daue? Da. factum. Ch. hem, quid ais scelus?
At tibi Dij dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, si omnes hunc coniectum in nuptias
Inimici vellent, quod, nisi hoc consilium darent?
Da. Deceptus sum, at non defatigatus. Ch. scio.
Da. Hac non succesit, alia aggrediemur via:

Nisi

NOTA. Nisi id putas, quia primò processit parum,
Non posse iam ad salutem conuerti hoc malum.
In satis, elidit. s. P. Immò etiam: nam † satis credo, si adhùc gilaueris
Ex vnis geminas mihi conficies nuptias.
prudentia Da. Ego Pamphile hoc tibi pro seruitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesq; & dies
Capitis periculum adire, dum prosim tibi.
Tuum' st, si quid præter spem euenit, mihi ignoscere,
Parum succesit quod ago, at facio sedulò.
Vel melius tute aliud reperi, me missum face.
Iamb. tet. Pa. Cupio, restituè in quem me accepisti locum.
Da. Faciam. Pa. at iam hoc opus' st. Da. hem, sed mane: concrepuit à Glycerio ostium.
Pa. Nihil ad te. Da. quæro. Pa. hem, nunccine demum? Da. at iam hoc tibi inuentum dabo.

ACTVS IIII. SCENA II.

MYSIS, PAMPHILVS, CHARINVS, DAVVS.

Iambici tetrametri scazontes catalecti. Pamphilo deliberanti, iterum adhibetur muliercula, quæ labascentem animum confirmet.

IAM, vbi vbi erit, inuentum tibi curabo, & mea cum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.
Pa. Mysis. My. quid est? hem Pamphile, optumè mihi te offers.
Pa. Quid est? My. orare iussit, si se ames, hera, iam ad sese venias.

Videre

Videre ait te cupere. Pa. vah, perij: hoc malum integrascit.
Siccine. me atq; illam opera tua, nunc miseros sollicitarier?
Nam idcircò accersor', nuptias quod mihi apparari sensit.
Ch. Quibus quidem quàm facilè poterat quiesci, si hic quiesset,
Da. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. atq; ædepol
Ea res est, propterea q; nunc misera in mœrore est.
Pa. Mysis,
Per omneis tibi adiuro Deos, nunquam eam me deserturum,
Non: si cupiundos mihi sciam esse inimicos omneis homines.
Hanc mihi expetiui, contingit: conueniunt mores: valeant,
Qui inter nos dissidium volunt? hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.
Ch. Respiscò. Pa. Non Apollinis magis verum, atq; hoc, responsum' st.
Si poterit fieri, vt ne pater per me stetisse credat,
Quo minus hæ fierent nuptiæ, volo. sed si id non poterit,
Id faciam, in procliui quod est, per me stetisse vt credat.

Quis

Quis videor? Ch. miser æquè, atq; ego. Pa. Consilium quæro. Ch. fortis
Scio, quid conere. Da. hoc ego tibi profectò effectum reddam.
Pa. Iam hoc opus est. Da. quin iam habeo. Ch. quid est? Da. huic, non tibi habeo, ne erres.
Ch. Sat habeo. Pa. quid facies? cedo. Da. dies hic mihi vt sit satis, vereor,
Ad agendum, ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas:
Proinde hinc nos amolimini: nam mihi impedimento estis.
Pa. Ego hanc visam. Da. quid tu? quo hinc te agis? Ch. verum vis dicam? Da. Immò etiam;
Narrationis incipit mihi initium. Ch. quid ne fiet?
Da. Eho tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo.
Quantum huic promoueo nuptias? Ch. Dane, attamen. Da quid ergo?
Ch. Vt ducam. Da. ridiculum. Ch. huc face ad me venias, si quid poteris.
Da. quid veniam? nihil habeo. Ch. Attamen si quid? Da. age veniam. Ch. si quid,
Domi ero. Da. tu Mysis dum exeo, parumper opperire me hic.
My. Quapropter? Da. ita facto opus est. My. matura. Da. iam inquam hic adero.

ACTVS IIII. SCENA III.

Iambici trimetri.

MYSIS.

Nihilne est proprium cuiquam? Dij nostram fidem.
Summum bonum esse heræ putabam hunc Pamphilũ,
Amicum, amatorem, virum, in quouis loco
Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
Dolorem? facilè hic plus mali est, quàm illic boni.
Sed Dauos exit, mi homo, quid istuc obsecro est? Quò portas puerum?

Hemistichium absoluitur proxima scena.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

Iambici trimetri.

DAVVS, MYSIS.

MYsis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem exprompta memoria, atq; astutia.
My. Quidnam incepturus? Da. accipe à me hunc ocyus,
Atq; ante nostram ianuam adpone. My. obsecro, Humi ne? Da. ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atq; eas substerne. My. quamobrem id tute non facis? Da. Quia, si forte opus sit ad herum iurandum mihi
Non adposuisse, vt liquido possim. My intelligo: Noua nunc religio in te istæc incessit, credo?
Da. Moue ocyus te, vt, quid agam porro intelligas.
Prò Iuppiter. M. quid? Da. sponsæ pater interuenit, Repudio consilium, quod primùm intenderam.

Noua consilia Dauo reperit, ad disturbandas nuptias.

My. Nescio

My. Nescio quid narras. Da. Ego quoq; hinc ab dextra
Venire me adsimulabo, tu vt subseruias
Orationi, vtcunq; opus sit verbis, vide.
My. Ego, quid agas, nihil intelligo: sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
Manebo, ne quod nostrum remorer commodum.

ACTVS IIII. SCENA V.

CHREMES, MYSIS, DAVVS.

Iambici trimetri.

REuertor, postquam quæ opus fuêre ad nuptias
Gnatæ, parauí, vt iubeam accersi: sed quid hoc?
Puer hercle' st, mulier, tun' apposuisti hunc?
My. vbi
Iamb. tetr. Illic est? Ch. non mihi respondes? My. hem, nusquam est. væ miseræ mihi.
Reliquit me homo, atq; abijt. Da. Dij nostram fidem,
Quid turbæ est apud forum? quid illîc hominum litigant? Trocha. catalect.
Rursus trimetri. Tum anonæ charæ est: quid dicam aliud nescio.
My. Cur tu obsecro hîc me solam? Da. hem, quæ hæc fabula?
Eho Mysis, puer hic vnde est? quisue huc attulit?
My. Satin' sanus es, qui me id rogites? Da. quem ego igitur rogem,
Qui hîc neminem alium video? Ch. miror vnde sit?
Da. Dicturane quod rogo? My. au. Da. concede ad dexteram. My. Deli-

My. Deliras non tute ipse? Da. verbum si mihi
Vnum præter, quàm quod te rogo, faxis, caue.
My. Maledicis? Da. vnde est, dic clarè. My. à vobis.
Da. ha ha hæ.
Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix.
Ch. Ab Andria est ancilla hæc, quantum intelligo.
Iambici trimetri.
Da. Adeon' videmur vobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? Ch. veni in tempore.
Da. Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua:
Mane: caue quoquam ex istoc exceßeris loco.
My. Dij te eradicent: ita me miseram territas.
Da. Tibi ego dico, an non? My. quid vis? Da. at etiam rogas?
Cedo, cuium puerum hic apposuisti? dic mihi.
M. Tu nescis? Da. mitte id quod scio: dic quod rogo.
My. Vestri. Da. cuius nostri? My. Pamphili?
Da. hem, quid? Pamphili?
My. Eho, an non est? Ch. recte ego, semper fugi has nuptias:
Da. O facinus animaduertendum. My. quid clamitas?
Da. Quemue ego heri vidi ad vos afferri vesperi?
M. O hominem audacem. Da. verum vidi Cantha-
Suffarcinatam My. Dijs pol habeo gratias. (ram
Cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ.
Da. Næ illa illũ haud nouit, cuius causſa hæc incipit
Chremes, si positum puerum ante ædes viderit.

Iambicus scazon c². talecticus⁸. Senarius erit, si legas: Mirum impudenter mulier si meretrix facit.

Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
C. Non hercle faciet. Da nunc adeo, vt tu sis sciens,
Ni puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam
Prouoluam, teq; ibidem peruoluam in luto.
My. Tu pol homo non es sobrius. Da. fallacia
Alia aliam trudit. iam susurrari audio,
Ciuem Atticam esse hanc. Ch. hem. Da. coactus legibus
Eam vxorem ducet. My. au, obsecro, an non ciuis est?
Ch. Iocularium in malum insciens penè incidi.
Da. Quis hîc loquitur? ô Chreme, per tempus aduenis:
Auscultа. Ch. audiui omnia. Da. an hæc tu omnia?
Ch. Audiui inquam à principio. Da. audistin' obsecrõ hem
Scelera, hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic ille est? non te credas Dauom ludere.
My. Me miseram: nihil pol falsi dixi, mi senex.
Ch. Noui rem. sed est Simo intus? Da. est. My. ne me attingas. Iambici tetrametri.
Sceleste. Si. pol Glycerio non omnia hæc.
Da. Eho inepta, nescis quid sit actum? My. quid sciam?
Da. Hic socer est. alio pacto haud poterat fieri,
Vt sciret hæc, quæ volumus. My. hem, prædiceres.
Da. Paulum interesse censes, ex animo omnia?
Vt fert natura, facias, an de industria?

Pentameter, nisi legas: intus est, in fine. Alias, qui Trimetri.

CRITO hospes, MYSIS, DAVVS.

Iambici trimetri.

IN hac habitasse platea dictum' st Chrysidem,
Quæ sese inhoneste optauit parare hîc diuitias
Potius, quàm in patria honestè pauper viuere.
Eius morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed quos perconter, video, saluete. My. obsecro,
Quem video? est ne hic Crito sobrinus Chrysidis?
Is est. Cr. ô Mysis salue. My. saluos sis Crito.
Cr. Itan' Chrysis? hem. My. nos quidem pol miseras perdidit.
Cr. Quid vos? quo pacto hic? satin' recte? My. nosne? † sic
Vt quimus, aiunt, quando, vt volumus, non licet.
Cr. Quid Glycerium? iam hic suos parentes reperit?
My. Vtinam. Cr. an nondum etiam? haud auspicato huc me appuli.
Nam pol, si id scissem, nunquã huc tetulissem pedem,
Semper enim eius dicta est hæc, atq; habita est soror
Quæ illius fuêre, possidet: nunc me hospitem
Lites sequi, quàm hic mihi sit facilè, atq; vtile,
Aliorum exempla commonent, simul arbitror,
Iam esse aliquem amicum, & defensorem eimã ferè
Grandiuscula iam profecta est illinc. clamitent,
Me Sycophantem, hæreditatem persequi,
Mendicum: tum ipsam despoliare non licet.
My. Optume hospes pol Crito, antiquum obtines.

Occasio Catastrophes, in qua apparebit, casum plus, quàm consilium valuisse.
Duo trochaici, tres Cretici. Sic addunt interpretes, & sine illo non constat versus.

Cr. Duc me ad eam, quando huc veni, vt videam.
My. maxime.
Da. Sequor hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

ACTVS V. SCENA I.

Trochaici tetrametri catalectici.

CHREMES, SIMO, ambo senes.

SAtis iam, satis Simon spectata erga amicitia est mea:
Satis pericli cœpi adire: orandi iam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, penè illusi vitam filiæ.
Si. Immò enim quàm maximè abs te postulo atq; oro Chreme,
Vt beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.
Ch. Vide, quàm iniquus sis præ studio, dum efficias id, quod cupis:
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas?
Nam si cogites, remittas iam me onerare iniurijs.
Si. Quibus? Ch. ah rogitas? perpulisti me, vt homini adolescentulo
In alio occupato amore, abhorrenti ab re vxoria
Filiam darem in seditionem, atq; incertas nuptias,
Eius labore, atq; eius dolore gnato vt medicarer tuo.
Impetrasti: incepi, cum res vetulit: nunc non fert: feras.

Rethorica excusatio, quare nolit Chremes Pamphilo filiam dare.

Illam hinc ciuem esse aiunt: puer est natus: nos missos face.
Si. Per ego te Deos oro, vt ne illis animum inducas credere,
Quibus id maximè vtile est, illum esse quàm deterrimum,
Nuptiarum gratia hæc sunt ficta, atq; incepta omnia.
Vbi ea caussa, quamobrem hæc faciunt, erit adempta his, desinent.
Ch. Erras. cum Dauo egomet vidi iurgantem ancillam. Si. scio. Ch. at.
Vero vultu, cum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat.
Si. Credo, & id facturas, Dauos dudũ prædixit mihi:
Et nescio quî tibi sum oblitus hodie, ac volui dicere.

ACTVS V. SCENA II.

DAVVS, CHREMES, SIMO, DROMO seruus.

Trochaici tetrametri.

ANimo iam nunc ocioso esse impero. Ch. hem Dauom tibi.
Si. Vnde egreditur? Da. meo præsidio atq; hospitio. Si. quid illud mali est?
Da. Ego commodiorem hominem, aduentum, tempus non vidi. Si. scelus,
Quem nam hic laudat? Da. Omnis res iam est in vado. Si. cesso alloquî.

In illud, cliditur I.

Da. Herus est: quid agam? Si. ô salue bone vir. Da. hem Simo, ô noster Chreme,
Omnia apparata iam sunt intus. Ch. curasti probè.
Da. Vbi voles, accerse. Si. bene sane, id enimuero hinc nunc abest.
Etiam tu hoc respondes? quid istuc tibi negoti est?
Da. mihin? Si. ita.
Da. Mihine? Si. tibi ergo. Da. modo introij.
Si. quasi ego, quamdudum, rogem.
Da. Cum tuo gnato vnà. Si. ame est intus Pamphilus? crucior miser.
Eho, non tu dixtin' esse inter eos inimicitias carnufex?
Da. Sunt. Si. Cur igitur hic est? Ch. Quid illum censes? cum illa litigat.
Da. Immò verò indignum Chreme iam facinus, faxo ex me audias.
Nescio quis senex modo venit: ellum, confidens, catus:
Cum faciem videas, videtur esse quantiuis preci:
In tristis, elicitur s. Iambici tetramet. Tristis seueritas inest in vultu atq; in verbis fides.
Si. quidnam adportas? Da. nihil equidem, nisi quod illum audiui dicere.
Si Quid ait tandem. Da. Glycerium se scire ciuem esse Atticam.
Trochaici tursum. Si. Hem Dromo, Dromo. Da. quid est? Si Dromo. Da. audi. Si. verbum si addideris, Dromo.
Da Audi obsecro. Dr. quid vis? Si. Sublimem intro hunc rape, quantum potes.

Dr. Quem

Dr. Quem? Si. Dauom. Dr. quamobrem? Si. quia lubet. rape inquam. Da. quid feci? Si. rape. Duo trochaici tetrametri.
Da. Si quicquam mentitum inuenies, occidito. Si. nihil audio.
Ego iam te commotum reddam. Da. tametsi hoc verum est, Si. tu tamen
Cura asseruandum vinctum: atq; audin'? quadrupedem constringito. Iamb. tri.
Age, nunc iam ego pol hodie, si viuo, tibi
Ostendam, herum quid sit pericli fallere, &
Illi patrem. Ch. ah, ne sæuì tantopere. Si. Chreme,
Pietatem gnati, nonne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium:
Age Pamphile: Exì Pamphile: ecquid te pudet?

ACTVS V. SCENA III.

Iambici trimetri.

PAMPHILVS, SIMO, CHREMES.

Obiurgatio paterna, & contra modestissima filij responsio.

QVis me volt? perij, pater est. Si. quid ais omnium? Ch. ah,
Rem potius ipsam dic, ac mitte malè loquì.
Si. Quasi quicquã in hunc iam grauius dici posset.
Ain' tandem, ciuis Glycerium est? Pa. ita prædicant.
Si. Ita prædicant? ô ingentem confidentiam:
Nunc cogitat, quid dicat? num facti piget?

Vide, num eius color pudoris signum vsquam indicat?
Adeo impotenti esse animo, vt, præter ciuium
Morem, atq; legem, & sui voluntatem patris
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
Pa. Me miserum. Si. modone id demum sensisti Pamphile?
Olim istuc, olim cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi:
Eodem die istuc verbum verè in te accidit.
Sed quid ego, cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem huius sollicito amentia? an
Vt pro huius peccatis ego supplicium sufferam?
Immò habeat, valeat, viuat cum illa. Pa. mi pater.
Si. Quid mi pater? quasi tu huius indigeas patris.
Domus, vxor, liberi inuenti inuito patre:
Adducti, qui illam ciuem hinc dicant: viceris.
Pa. Pater, licetne pauca? Si. quid dices mihi?
Ch. Attamen Simo audi. Si. ego audiam? quid ego audiam
Chreme? Ch. attamen dicat sine. Si. age dicat, sino.
Pa. Ego me amare hanc fateor. si id peccare est, fateor id quoq;.
Tibi pater me dedo, quiduis oneris impone: impera:
Vis me vxorem ducere, hanc vis amittere? vt potero feram.
Hoc modo te obsecro, vt ne credas à me alligatum hunc senem.

Sine

Sine me expurgem, at illum huc coram adducam. Si. adducas? Pa sine pater.
Ch. AEquum postulat: da veniam. Pa. sine te hoc exorem. Si. sino.
Quiduis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar Chreme.
Ch. Pro peccato magno paululum supplicij satis est patri.

ACTVS V. SCENA IIII.

CRITO, CHREMES, SIMO. PAMPHILVS.

Trochaici tetrametri catalectici.

MItte orare, vna harum quæuis causa me, vt faciam, monet, Catastrophe.
Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
Ch. Andrium ego Critonem video? certè is est, saluos sis Crito:
Quid tu Athenas insolens? Cr. euenit, sed hiccine est Simo?
Ch. Hic est. Si. men' quæris? eho, tu Glycerium hinc ciuem esse ais?
Cr. Tu negas? Si. itane huc paratus aduenis? Cr. quare? Si. rogas?
Tu ne impunè hoc facias? tu ne hic homines adolescentulos,

 Imperitos

Imperitos verum, eductos liberè, in fraudem illicis?
Sollicitando & pollicitando eorum animos lactas.
Ch. sanus ne es?
Si. Ac meretricios amores nuptijs conglutinas?
Pa. Perij: metuo, vt substet hospes. Ch. si Simo hunc noris satis,
Non ita arbitrare: bonus hic est vir. Si. hic vir sit bonus:
Itane attemperatè venit hodie in ipsis nuptijs,
Vt veniret antehac nunquam? est vero hùc credendum Chremeti?
Pa. Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moneam probè.
Si Sycophanta. Cr. hem. Ch. sic Crito est hic, mitte. Cr. videat, quid fiet.
Si mihi pergit, quæ vult, dicere: ea, quæ non vult audiet.
Ego istæc moneo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?
Nam ego quæ dixi, vera, an falsa audieris, iam scire potest.
Atticus quidam olim naui fracta apud Andrum, eiectus est,
Et istæc vnà parua virgo. tum ille egens, forte applicat
Primum ad Chrysidis patrem se. Si. fabulam inceptat. Ch. sine.

Cr. Itane

Cr. Itane vero obturbat? Ch perge. Cr. tum is mihi cognatus fuit.
Qui eum recepit, ibi ego audiui ex illo sese esse Atticum:
Is ibi mortuus est. Ch. eius nomen? Cr. nomen tam citò tibi?
Phania. Ch. hem? perij. Cr. verum hercle opinor fuisse Phaniam:
Hoccertò scio, Rhamnusium se aiebat esse.
Ch. ô Iuppiter.
Cr. Eadem hæc Chreme multi alij in Andro tum audiuêre. Ch. Vtinam id sit
Quod spero: eho dic mihi, quid eam tum, suam ne esse aiebat? Cr. non.
Ch. Cuiam igitur? Cr. fratris filiam.
Ch. Certè mea est. Cr. quid ais? Si. quid tu ais? arrige aureis Pamphile.
Quî credis? Ch. Phania ille, frater meus fuit.
Si. noram & scio.
Ch. Is hinc bellum fugiens, méq; in Asiam persequens, proficiscitur.
Tum illam hic relinquere est veritus, post illa nunc primum audio,
Quid illo sit factum. Pa. vix sum apud me, ita animus commotus est metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.

Tetramet. scazon catalecticus.
Octonarius iambi.
Iam. dim.
Trochaic. tetramet.
Iamb tet.

Si. Ne

Si. Nè istam multi modis tuam inuenîri gaudeo.
Pa. credo pater.
Cr. At mihi vnus scrupulus etiam restat, qui me malè habet. Pa. dignus es
Cum tua religione, odium, NODVM in scirpo quæris. Cr. quid istuc est?
Ch. Nomen non conuenit. Cr. fuit hercle aliud huic paruæ. Ch. quod Crito?
Nunquid meministi? Cr. id quæro. Pa. egone huius memoriam patiar meæ
Voluptati obstare, cum ego possim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus Chreme: quod quæris, Pasibula est. Cr. ipsa est. Ch. ea est.
Pa. Ex illa millies audiui. Si. omneis nos gaudere hoc Chreme,
Te credo credere. Ch. ita me Dij ament, credo.
Pa. quid restat pater?
Si. Iamdudum res reduxit me ipsa in gratiam.
Pa. ô lepidum patrem:
De vxore ita, vt possedi, nihil mutat Chremes.
Ch. caussa optuma est:
Nisi quid pater aliud ait. Pa. nempe. Ch. scilicet, dos est Pamphile,
Decem talenta. Pa. accipio. Ch. propero ad filiam, eho mecum Crito:
Nam illam me haud nosse credo. Si. cur non illam huc transferri iubes?

Pa. Recte

Pa. Rectè admones. Dauo istuc dedam hoc negoci.
Si. non potest.
Pa. Quî? Si. quia habet aliud magis ex sese, & maius. Pa. quidnam? Si. vinctus est.
Pa. Pater, non recte vinctus est. Si. haud ita iussi.
Pa. iube solui obsecro. Iube, pyrrichius est
Si. Age fiat. Pa. at matura. Si. eo intro. Pa. ô faustum & felicem hunc diem.

ACTVS V. SCENA V.

CHARINVS, PAMPHILVS.

PRouiso, quid agat Pamphilus: atq; eccum.
Pa. aliquis forsan me putet Iamb. tet.
Non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet. Trochaic. tetramet.
Ego vitam † Deorum propterea sempiternam esse arbitror, Deorum, dissylla-
Quod † voluptates eorum propriæ sunt. nam mihi immortalitas bum est. In voluptates, ui-
Parta est, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit. elicitur.
Sed quem ego potissimum exoptem nunc mihi, cui hæc narrem dari? Iamb. tet.
Ch. Quid illuc gaudij est? Pa. Dauom video, nemo est, quem mallem omnium: Trochaic. tetrameter
Nam hunc scio mea solidè solum gauisurum gaudia. vltero.

plagiarij manifestus

ACTVS V. SCENA VI.

Iambici tetrametri.

DAVVS, PAMPHILVS, CHARINVS.

PAmphilus vbinam hic est? Pa. Daue.
Da. quisnam homo est? Pa. ego sum.
Da. ô Pamphile.
Pa. Nescis quid mihi obtigerit? Da. Certè: sed, quid mihi obtigerit, scio.
Pa. Et quidem ego. Da. more hominum euenit. quod sim nactus mali,
Prius resciscere tu, quàm ego, quod tibi euenit boni.
Pa. Mea Glycerium suos parentes reperit. Da. ô factum bene. Ch. hem.
Pa. Pater amicus summus nobis. Da. quis? Pa. Chremes. Da. narras probè.
Pa. Nec mora vlla est, quin iam vxorem ducam. Ch. num ille somniat
Ea, quæ vigilans voluit? Pa. tum de puero Daue? Da. ah desine:
Solus est, quem diligunt Dij. Ch. saluos sum, si hæc vera sunt,
Colloquar. Pa. quis homo est? Charine, in tempore ipso mihi aduenis.

Ch. Bene

Ch. Bene factum Pa. hem, audistin'? Ch. omnia: age me in tuis secundis respice,
Tuus est nunc Chremes, facturum, quæ voles, scio esse omnia.
Pa. Memini, atq; adeo longum est, nos illum expectare, dum exeat, nec
Sequere hac me, intus apud Glycerium est nunc: tu Daue abi domum:
Propera, accerse, hinc qui auferant eam: quid stas? quid cessas? Da. eo,
Ne expectetis, dum exeant huc, intus despondebitur:
Intus transigetur, si quid est, quod restet.
Plaudite.

CALLIOPVS RECENSVIT.

PHILIPPI MELANTHONIS ARGVMENTVM IN EVNVCHVM.

COmœdiæ plurimarũ rerum in tota hominũ vita imagines proponũt, videlicet, quid in morib. deceat, quid non deceat, quæ sit ingeniorũ huma-

humanorum varietas, quàm varij casus accidant, quanta vis sit fortunæ, quàm sæpè nos fallant consilia in periculis. Atq; hæc fabula in primis magnam varietatem habet personarum, consiliorum & casuum, ac magna ex parte motoria est. Superior Comœdia proposuit exemplum adolescentis verecundi & moderati, qui de officio suo honestè deliberat. Hic nulla sunt honesta exempla, nulla honesta consilia. Describuntur enim meretricij amores, & confevuntur duo amatores, Thraso ac Phædria, quorum vtriusq; ingenũ considerate proponitur, vt videamus, quàm sint inepti ardeliones illi, qui cũ nulla neq; virtute, neq; industria præditi sint, tamen magnificè de se sentiunt, ac prædicant, vbiq; videri volunt regnare, in aulis, in consilijs, in rebus omnibus gerendis, præsertim, vbi se putant in tuto esse. Hi in priuatis negotijs ridiculi sunt, vt hic in fabula Thraso, & apud Plautum miles glorioſus, sed in Repub: si quando imperant pernicioſi, & propter stulticiam & propter ambitionem. Qualis propemodum fuisse Antonius Romæ videtur, & quales nunc regnant multi indocti & impudentes homines, in templis & in concionibus.

Itaq;

Itaq; diligenter hic cognoscendus est Thraso, vt odisse arrogantiam ac vanitatem discamus. Riualis Thrasonis, fingitur ingenio satis bono esse, sed ita immutatus amore meretricio, vt non cognoscas, inquit, eundem esse. Quid autem turpius est, quàm ita vinci amore, vt quasi naturam nostram exuisse videamur? Sed habet primas Thraso in hac fabula, cui ideo Gnathonem addit, vt fatuum & insulsum ardelionem clarius depingeret, exagitatum & derisum ab assentatore. Et quia quasi gemina fabula est, discernamus pericula & exitus vtriusq; partis.

Protasis est: Thais, vt extorqueat à milite puellam ciuem, promittit ei, se suturam apud eum aliquot dies. Idq; vt concedat Phædria vix tandem impetratur. Fuit enim riualis addendus Thrasoni potentior, vt plus esset in fabula periculorum & varietatis.

Epitasis est, cùm ad militem venit Thais, accersit fratrem puellæ, vt eum de sorore certiorem reddat Thraso, quia putat sibi riualem adductum, stomachatur. Quare discedit ab irritato Thais. Ibi redit miles oppugnatum ædes Thaidis magno cum tumultu.

Cataſtrophe ridicula eſt, omiſſa oppugnatione Thraſo fit ſupplex Thaidi, & Gnatho eum ita deſcribit Phædriæ, vt is intelligat, ſibi ab hoc riuali nihil eſſe periculi. Quare ſic diſcedit miles, vt ſe quoq; hærere in aliqua parte apud Thaidem arbitretur, atq; hoc ſuo errore interim homo ſtolidus beatus eſt.

Altera Epitaſis eſt: Chærea pro Eunucho ad Thaidem deductus, vicium offert virgini. Sed Cataſtrophe læta eſt: Nam puella, poſteaquam eam comperiunt eſſe ciuem, datur vxor Chereæ.

FABVLÆ INTERLOCVTORES.

Laches ſenex.
Phædria adoleſcens.
Chærea adoleſcens.
Parmeno ſeruus.
Dorus Eunuchus.
Thais meretrix.
Dorias ancilla.
Antipho adoleſcens.
Pythias ancilla.
Thraſo miles.
Sanga lixa.
Gnatho paraſitus.
Chremes adoleſcens ruſticus.
Sophrona nutrix.

IDIOMATA PERSONARUM & Etymologiæ.

Laches, à ſortiendo, ſiue ab intendendo actionem iniuriarum, pius in filios, & vehementi ingenio. Phædria, ab hilaritate morum, cordatus adoleſcens, & cum morbo ſuo pugnans. Chærea à gaudio, ephebus ad quiduis audax, incogitans & impudenter amans. Parmeno, quod ſedulò aſsit domino ſuo, callidus, & oſor meretricum. Dorus, quod dono mittatur Thaidi. Thais, à pauone videtur dicta, addita aſpiratione: inducitur cordata & ciuilis, ac inter meretrices probis moribus. Dorias, ab haſta, quod in bello captus ſit. Pythias, ob calliditatem, aut quod omnia percontetur. Thraſo, à confidentia, fingitur ſtolidus & arrogans. Sanga, à σάπτειν, hoc eſt, à componendis ſarcinis dictus videtur: fingitur liber ac domini contemptor, quales fere coqui. Gnatho, à mandibula, vt edax: fingitur aſſentator & callidus. Chremes adoleſcens ruri educatus, eoq; ciuilium blanditiarum inſolens, artium imperitus. Antipho quod obuius appareat.

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA in Eunuchum.

SOrorem falsò dictatam Thaidis,
Id ipsam ignorans, miles aduexit Thraso,
Ipsiq; donat. erat hæc ciuis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat tradi iubet
Thaidis amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thraſoni oratus biduum vt concederet.
Ephebus frater Phædriæ puellulam
Cum deperiret dono missam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur: suadet Parmeno:
Introijt: viciat virginem. sed Atticus
Cuius repertus frater eius, collocat
Viciatam Ephebo: Phædriam exorat Thraſo.

ADILON.

Non sunt versus.

MEretrix adolescentem, cuius mutuo amore
Tenebatur, excluſit: eiq; reuocato
Exclusionis causſas reddidit eius frater
Minor natu, virginem quam miles
Meretrici dono miserat, amare cœpit,
Deductuſq; in domũ meretricis pro Eunucho viciat.
Re itaq; cognita, cùm illusam se meretrix
Doleret, ab eodem adolescente placatur:
Interuentuq; fratris eius ciuem cognitam
Athenienſem, duxit vxorem: miles quoq;
In partem meretricij amoris receptus, illuditur.

ACTA

ACTA LVDIS MEGALENSIBVS, L. POSTHVMIO, L. CORNELIO AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGIT L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATTILIVS PRAENESTINVS TIBIIS DVABVS DEXTRIS. GRAECA MENANDRV ACTA SECVNDA. MODOS FECIT FLACCVS, CLAVDI, M. VALERIO CN. FANNIO COSS:

PROLOGVS.

SENARII.

SI quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quamplurimis, & minimè multos lædere:
In his Poëta hic nomen profitetur ſuum.
Tum ſiquis eſt, quà dictum in ſe inclementius
Exiſtimat eſſe, ſic exiſtimet: ſciat,
Reſponſum, non dictum eſſe, quia læſit, prius
Qui bene vertendo, & eas deſcribendo malè,
Ex Græcis bonis, Latinas non fecit bonas:

Propoſitio in qua præfatur, ſe prouocatum reſpondere. Ita liberat ſe ſuſpitione petulantiæ.

I 3 Idem

Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
Atq; thesauro, scripsit causſam dicere
Prius, vnde petitur, aurum quare sit suum,
Quàm illic qui petit. vnde is sit thesaurus sibi,
Aut vnde in patrium monumentum peruenerit.
Dehinc, ne frustretur ipse se, aut sic cogitet,
Defunctus iam sum, nihil est quod dicat mihi:
Is ne erret, moneo, & desinat lacessere:
Habeo alia multa, quæ nunc condonabuntur,
Quæ proferentur post, si pergat lædere
Ita, vt facere instituit. nunc quam acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam AEDILES
emerunt,
Perfecit sibi vt inspiciundi esset copia,
Magistratus cum ibi adesset, occepta est agi.
Exclamat, furem, non Poëtam fabulam
Dedisse. & nihil dedisse verborum tamen:
Colacem esse Næui, & Plauti veterem fabulam,
Parasiti personam inde ablatam, & militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentia est
Poëtæ, non qui furtum facere studuerit.
Id ita esse, vos iam iudicare poteritis.
Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax,
Et miles glorioſus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Græca: sed eas fabulas factas prius

Alias, à thesauris. Puto scriptū fuisse à thesauro Is illic, pro ille, vt alias sæpe.

Alias, is sit.

Alia defensio.

Latinas

Latinas scisse se, id vero pernegat.
Quod si personis ijsdem vti, alijs non licet:
Qui magis licet currentes seruos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, glorioſum militem,
Puerum supponi, falli per seruum senem,
Amare, odisse, suspicari: denig;
NVLLVM EST iam dictum, quod non dictum
sit prius.
Quare æquum est vos cognoscere, atq; ignoscere,
Quæ veteres factitarunt, si faciunt noui.
Date operam, & cum silentio animaduortite,
Vt pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit.

Negat hãc fabulam prius Latinam factam esse.

Omnes Spondæi sunt, excepto vltimo.



ACTVS PRIMI
SCENA PRIMA.

Iambici trimetri.

PHÆDRIA adolescens, PARMENO seruus.

Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum accersor vltrò? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Excluſit, reuocat, redeam? non ſi me obſecret.
Pa. Siquidem hercle poſſis, nihil prius, neq; fortius:
Verùm ſi incipies, neq; † pertendes gnauiter,
Atq; vbi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace vltrò ad eam venies, indicans
Te amare, & ferre non poſſe, actum eſt, ilicet,
Periſti: eludet, vbi te victum ſenſerit.
Ph. Proin tu, dum eſt tempus, etiam atq; etiã cogita.
Pa. Here, quæ res in ſe neq; conſilium, neq; modum
Habet vllum: eam conſilio regere non potes.
In amore hæc omnia inſunt vitia, iniuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum: incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam, vt cum ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non? ſine modo,

Phædria initiò deliberat, ſed paulo poſt ſuccumbit amori, idque futurũ eſſe, ſeruus præmonet, & commemorat amatorum imbecillitatem.

Alias, pertendas.

Mori me malim: sentiet qui vir siem:
Hæc verba vna me hercle falsa lachrumula,
Quam, oculos terendo miserè, vix vi expresserit,
Restinguet, & te vltrò accusabit, & dabis ei
Vltrò supplicium. Ph. ô indignum facinus: nunc ego
Et illam sceleſtam esse, & me miserum sentio:
Et tædet: & amore ardeo: & prudens, sciens,
Viuus, videnſq; pereo: nec quid agam scio.
Pa. Quid agas? nisi vt te redimas captũ, quàm queas
Minimo: si nequeas paululo: at quanti queas,
Et ne te afflictes. Ph. itane suades? Pa. si sapis,
Neq; præter, quàm quas ipse amor moleſtias
Elicitur s. Habet, addas: & illas, quas habet, rectè feras,
Sed ecca ipsa egreditur noſtri fundi calamitas:
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

ACTVS I. SCENA II.

THAIS meretrix, PHÆDRIA, PARMENO.

MIseram me, vereor ne illud grauius Phædria
Tulerit, neue aliorsum, atq; ego feci, acceperit,
Quod heri intromiſſus non est. Ph. totus Parmeno
Tremo, horreoq;, poſteaquam aſpexi hanc.
Pa. bono animo es:
Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus satis.
Th. Quis hîc loquitur? ehem, tun? hic eras mi Phædria?

Quid

Quid hîc stabas? cur non rectà introibas? Pa. cæterum
De excluſione verbum nullum. Th. quid taces? Ph. Sane vero, quia hæ mihi patent semper fores.
Aut quia sum apud te primus. Th. missa istæc face,
Ph. Quid missa? ô Thais, Thais, vtinam esset mihi
Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret:
Vt aut hoc tibi doleret itidem, vt mihi dolet,
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.
Th. Ne crucia te obsecro, anime mi, Phædria.
Non pol, quò quenquam plus amem, aut plus diligam,
Eò feci: sed ita res est: faciundum fuit.
Pa. Credo, vt fit, misera præ amore excluſiſti hunc foras.
Th. Siccine ais Parmeno? age: sed hîc qua gratia
Te accersi iußi, auſculta. Pa. fiat. Th. dic mihi
Hoc primum, potin' est hîc tacere? Pa. egone, optumè:
Verùm heus tu, lege hac tibi meam astringo fidem:
Quæ vera audiui, taceo, & contineo optumè,
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuò palam est.
Plenus rimarum sum, hac atq; illac perfluo:
Proin tu, taceri si vis, vera dicito.
Th. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
Pa. Potest taceri hoc. Th. ibi tum matri paruolam
Puellam dono quidam mercator dedit,

Ex

Expoſtulatio Phædriæ cum Thaide.

Ex Attica hinc abreptam. Ph. ciuemne? Th. arbitror:
Certum non scimus: matris nomen & patria
Dicebat ipsa: patriam, & signa cætera
Neq; scibat, neq; per ætatem etiam poterat.
Mercator hoc addebat: è prædonibus,
Vnde emerat, se audisse abreptam è Sunio.
Mater vbi accepit, cœpit studiosè omnia
Docere, educere, ita vti si esset filia.
Sororem pleriq; esse credebant meam. (spite,
Ego cum illo, quo cum vno rem habebam tum ho-
Abij huc: qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
Pa. Vtrunq; hoc falsum est: effluet. Th. quâ istuc? Pa. quia
Neq; tu vno eras contenta, neq; solus dedit:
Nam hic quoq; bonam, magnamq; partem ad te attulit
Th. Ita est: sed sine me peruenire, quò volo.
Interea miles, quî me amare occeperat,
In Cariam est profectus: te interea loci
Cognoui, tute scis, post illa intimam quàm
Habeam te, & mea consilia vt tibi credam omnia.
Ph. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. Pa. oh, dubiumne id est?
Th. Hoc agite amabo, mater mea illic mortua est
Nuper: eius frater aliquantulum ad rem est auidior,
Is vbi hanc forma videt honesta virginem,
Et fidibus scire, precium sperans, illicò

Produ-

Produxit, vendit, forte fortuna affuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi
Imprudens harum rerum, ignarusq; omnium:
Is venit: postquam sensit me tecum quoq;
Rem habere, fingit caussas, ne det sedulò:
Ait: fidem habeat, se iri præpositum tibi.
Apud me, ne non id metuat, ne, vbi acceperim,
Sese relinquam: velle se illam mihi dare:
Verùm id vereri. Sed ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adiecit. Ph. etiamne amplius?
Th. Nihil, nam quæsiui nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ sunt caussæ, quamobrem cupio abducere:
Primùm, quod soror est dicta: præterea vt suis
Restituam ac reddam. sola sum, habeo hic neminem,
Neq; amicum, neq; cognatum, quamobrem Phædria
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Id amabo adiuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores parteis hosce aliquot dies
Apud me habere. nihil respondes? Ph. pessuma,
Egone quicquam cum istis factis tibi respondeam?
Pa. Heu noster, laudo. tandem perdoluit: vir es.
Ph. At ego nesciebam quorsum tu ires: paruula
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
Soror est dicta: cupio abducere, vt reddam suis:
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt, deniq;
Ego excludor, ille recipitur: qua gratia?
Nisi illum plus amas, quàm me: & istam nunc times,

Quæ

Quæ aduecta est, ne illum talem præripiat tibi.
Th. Egone id timeo? Ph. quid ergo te aliud sollicitat? cedo,
Num solus ille dona dat? nunc vbi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?
Nonne, vbi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsiui? Eunuchum porro dixti velle te,
Viginti minæ, ducenti cotonati. Quia solæ vtuntur his reginæ, reperi:
Heri minas viginti pro ambobus dedi:
Tamen contemptus abs te, hæc habui in memoria,
Ob hæc facta abs te spernor. Th. quid istuc Phædria?
Quanquã illam cupio abducere, atq; hac re arbitror
Id fieri posse maximè, veruntamen
Potius, quàm te inimicũ habeam, faciam, vt iusseris.
Ph. Vtinam istuc verbum ex animo, ac verè diceres:
Potius, quàm te inimicum habeam, si istuc crederem,
Syncerè dici, quiduis possem perpeti.
Pa. Labascit, victus vno verbo, quàm citò.
Th. Ego non ex animo misera dico? quam ioco
Rem voluisti à me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem vt concedas solum. Ph. siquidem biduum:
Verùm ne fiant isti viginti dies.
Th. Profecto non plus biduum, aut. Ph. aut? nihil moror.
Th. Non fiet, hoc modo sine te exorem. Ph. scilicet
Faciundum est, quod vis. Th. bene facis, meritò te amo.

Ph. Rus ibo, ibi hoc me macerabo biduum.
Ibo facere certum? est, mos gerendus est Thaidi.
Tu Parmeno huc fac illi adducantur. Pa. maximè.
Ph. In hoc biduum Thais vale. Th. mi Phædria,
Et tu: nunquid vis aliud? Ph. Egone quid velim?
Cum milite isto præsens, absens vt sies:
Dies noctesq; me ames: me desideres:
Me somnies: me expectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes: mecum tota sis:
Meus sic sis postremò animus, quando ego sum tuus.
Th. Me miseram, forsitan hic mihi paruam habeat fidem,
Atq; ex aliarum ingenijs nunc me iudicet,
Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certò scio,
Neq; me finxisse quicquam, neq; meo
Cordi esse quenquam chariorem hoc Phædria:
Et quicquid huius feci, caussa virginis
Feci: nam me eius fratrem spero propemodum
Iam repperisse, adolescentem adeo nobilem: &
Is hodie venturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intrò, atq; expectabo, dum venit.

ACTVS II. SCENA I.

PHÆDRIA, PARMENO.

FAC ita vt iussi, deducantur isti. Pa. faciam. Ph. at diligenter. Troch te tramet catalect. nisi tollas è versu, istì.
Pa. Fiet. Ph. at maturè. Pa. fiet. Ph. satin? hoc mandatum est tibi?
Pa. Ah,

Iambicus. Pa. Ah rogitare? quasi difficile sit,
Vtinam tam aliquid inuenire facilè possis Phædria,
Dimeter. Quàm hoc peribit. Ph. Ego quoq; vnà pereo, quod mihi est carius:
Trochaic. tetramet. Ne istuc tam iniquo patiare animo. Pa. minimè: quin
Effectum dabo. sed nunquid aliud imperas?
Ph. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris: &
Istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito. Pa. au,
Iamb. scazon catal. Memini, tametsi nullus moneas. Ph. ego rus ibo,
atq; ibi manebo.
Pa. Censeo. Ph. sed heus tu. Pa. quid vis? Ph. cen-
Trochaic. sen' posse me offirmare, & Perpeti, ne redeam interea? Pa. te ne? non hercle arbitror:
Nam aut iam reuertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia.
Elide duo s. Ph. Opus faciam, vt defatiger, vsq; ingratus vt dormiam.
Pa. Vigilabis lassus: hoc plus facies. Ph. abi sis: ah,
Iamb. tet. nihil dicis Parmeno.
Eijcienda hercle hæc mollities animi, nimis me in-
dulgeo.
Tandem ego non illa caream, si sit opus, vel totum triduum. Pa. hui,
Trochaic. Vniuersum triduum? vide, quid agas. Ph. stat sen-
tentia.
Pa. Dij boni, quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier

Ex

Ex amore, vt non cognoscas eundem esse? hoc ne-
mo fuit. Epiphonema serui, deplorantis herum ex amore prorsus immutatum esse.
Minus ineptus, magis seuerus quisquam, nec magis
continens.
Sed quis hic est, qui huc pergit? at at, hic quidem
est parasitus Gnatho
Militis: ducit secum vnà virginem dono huic: papæ, Alias, hinc.
Facie honesta, mirum, ni ego me turpiter hodie hîc
dabo,
Cum meo decrepito hoc Eunucho. hæc superat
ipsam Thaiden.

ACTVS II. SCENA II.

GNATHO, PARMENO.

DII immortales, homini homo quid præstat? Trochaici tetrametri. catalect.
stulto intelligens
Quid interest? hoc adeo ex hac re venit in mentem
mihi:
Conueni hodie aduenientes quendam mei loci hinc, Parasiti uafri & impostoris prorsus Rethorica imago, seu vt vocant εἰκών.
atq; ordinis
Hominem, haud impurum, itidem patria qui abli-
gurierat bona:
Video sentum, squallidum, ægrum, pannis amisq;
obsitum.
Quid istuc, inquam, ornati est? quoniam miser,
quod habui, perdidi, hem,
Quò redactus sum? omnes noti me, atq; amici de-
seruunt.

K Hîc

Hîc ego illum contempsi præ me: quid homo, inquam, ignauissime:
Itane parasti te, vt spes nulla reliqua in te siet tibi?
Simul consilium cum re amasti? viden' me ex eodem ortum loco? (vis?
Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corpo-
Omnia habeo, neq; quicquam habeo: nihil cum est, nihil defit tamen.
At ego infelix, neq; ridiculus esse, neq; plagas pati
Possum, quid tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius.
Hoc nouum est aucupium? ego adeo hanc primus inueni viam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos consector, hisce ego non paro me, vt rideant.
In sed, elliditur d. Sed his vltrò arrideo, & eorum ingenia admiror, simul
Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoq;
Iambici tetrametri trochaic. Negat quis nego: ait, aio: postemò imperaui egomet mihi.
Omnia assentari, is quæstus nunc est multo vberrimus.
Pa. Scitum hercle hominem, hic homines prorsum ex stultis insanos facit.

Gn. Dum

Gn. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum vbi aduenimus, Iambicus scazon.
Concurunt læti mî obuiam cupedinarij omnes, Trimeter catalect.
Cetari, lani, coqui, fartores, piscatores, aucupes, Aucupes, videtur ad iectum, nam repugnat versui.
Quibus & re salua & perdita profueram, & prosum sæpe,
Salutant, ad cœnam vocant, aduentum gratulantur.
Ille vbi miser famelicus, videt me esse in tantum honorem,
Et tam facilè victum quærere: ibi homo cœpit me obsecrare,
Vt sibi liceret discere id de me. sectari iussi,
Si pote, tanquam Philosophorum habent disciplina ex ipsis
Vocabula, parasiti itidem vt Gnathonici dicentur.
Pa. Viden' ocium, & cibus quid faciat alienus? Gn. sed ego cesso
Ad Thaidem hanc deducere, & † rogitare ad cœnam vt veniat. Alias, rogare.
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video,
Riualis scilicet, salua res est, nimirum hîc homines frigent.
Nebulonem hunc certum est ludere. Pa. † hicce hoc munere arbitrantur Alias, hisce: ex Prisciano.
Suam Thaidem esse. Gn. plurima salute Parmenonem

Summum suum impertit Gnatho. quid agitur? Pa. statur. Gn. video:
Nunquid nam hîc, quod nolis, vides? Pa. te. Gn. credo: at nunquid aliud?
Pa. Quî dum? Gn. quia tristis es. Pa. nihil equidem Gn. ne sis. sed quid videtur
Hoc tibi mancipium? Pa. non malum hercle. Gn. vro hominem. Pa. vt falsus animi.
Gn. Quàm hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse? Pa. hoc nunc dices,
Electos hinc nos: OMNIVM RERVM heus vicissitudo est.
Gn. Sex ego te totos Parmeno hos menses quietum reddam,
Ne sursum, deorsum cursites, neue vsq; ad lucem vigiles:
Ecquid beo te? Pa. men? papæ. Gn. sic soleo amicos. Pa. laudo.
Gn. Detineo te, fortasse tu profectus aliò fueras.
Pa. Nusquam. Gn. tum tu igitur paululum da mihi operæ, fac vt admittar
Ad illam. Pa. age, modo nunc patent tibi fores hæ, quia istam ducis.
Gn. nunc quem euocari hinc vis foras? Pa. sine, biduum hoc prætereat:
Qui mihi nunc vno digitulo fores aperis fortunatus,
Nè tu istas saxo calcibus sæpe insultabis frustra.

Gn. Etiam

Gn. Etiam tu hîc stas Parmeno? eho, numnam tu hîc relictus custos,
Ne quis forte internuncius clam à milite ad istam cursitet?
Pa. Facetè dictum: mira vero militi quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc aduenire.
Miror, quid ex Piræo abierit: nam ibi custos publicè est nunc.
Non temerè est, & properans venit: nescio quid circumspectat.

ACTVS II. SCENA III.

CHAEREA, PARMENO.

Occasio quasi noua fabulæ.

OCcidi. Creticus.
Neq; virgo est vsquam: neq; ego, qui illam è conspectu amisi meo. Oct. iamb.
Vbi quæram? vbi inuestigem? quem perconter? quam insistam viam?
Incertus sum: vna hæc spes est, vbi vbi est, diu cælari non potest. Trocha.
O faciem pulchram: deleo omnes de hinc ex animo mulieres:
Tædet harum cotidianarum formarum. Pa. ecce autem alterum,
Nescio quid de amore loquitur, ô infortunatum senem.
Hic vero est, quà se amare occeperit, ludum iocumq; Iamb. tet. catalect.

Dices fuisse illum alterum, præ vt huius rabies quæ dabit.

Iam. cata. Ch. Vt illum Dij, Deæq; senium perdant, qui me hodie remoratus est,
Meq; adeo, qui restiterim, tu autem mquã illum floccíferim:
Sed eccum Parmenonem. salue. Pa. quid tu es tristis? quidue es alacris?
Vnde is? Ch. ego nescio hercle, neq; vnde eam, neq; quorsum eam,

Dim. iam. Ita prorsum oblitus sum mei.
Pa. Qui quæso? Ch. amo. Pa. hem. Ch. nunc te Parmeno ostendes, qui vir sies.
Scis te mihi sæpe pollicitum esse, Chærea, aliquid inuenì
Modo, quod ames in ea re vtilitatem ego faciam vt cognoscas meam,
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.
Pa. Age inepte. Ch. hoc hercle factum est. fac sis nunc promissa appareant.
Pa. Siue adeo digna res est, vbi tu neruos intendas tuos.
Ch. Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, vt graciles fiant.

Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt, deducunt cibum,
Tametsi bona est natura, reddunt curatura iunceas,
Itaq; ergo amantur. Pa. quid tua istæc? Ch. noua figura oris. Pa. papæ.
Ch. Calor verus, corpus solidum, & succi plenum. Senarius catalecticus vterq.
Pa. anni? Ch. anni? sedecim.
Pa. Flos ipse. Ch. hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo. Iamb. tetrameter catalect.
Pa. Quid, virgo cuia est? Ch. nescio hercle. Pa. vnde est? Ch. tantundem. Pa vbi habitat?
Ch. Ne id quidem. Pa. vbi vidisti? Ch. In via.
Pa. qua ratione amisti? Ch. id equidem
Aduenìens mecum stomachabar modo, neq;
Quenquam esse ego hominem arbitror, cũ magis bonæ Iam. tetra.
Felicitates omnes aduorsæ sient.
Quid hoc est sceleris? perij. Pa. quid factum est? Ch. rogas?
Patris cognatum atq; æqualem Archidemidem
Nostin? Pa. quid ni? Ch. is, dum sequor hanc, sit mihi obuiam.
Pa. Incommodè hercle. Ch. immò enimuero infeliciter,
Nam incommoda alia sunt dicenda Parmeno.
Illum liquet mihi deierare his mensibus Vel superest in versu.
Sex, vel septem prorsumpon vidisse proxumis,

Nisi nunc, cum minime vellem, minimeq; opus fuit!
Eho, nonne hoc monstri simile est? quid ais?
Pa. maxume.
Ch. Continuò adcurrit ad me, quàm longè quidem,
Incuruus, tremulus, labijs demissis, gemens:
Heus, heus, tibi dico Chærea, inquit. restiti:
Scin' quid ego volebam? dic, eras est mihi
Iudicium. quid tum? vt diligenter nuncies
Patri, aduocatus mane mihi esse vt meminerit.
Alias, loquitur. Dum hæc † dicit, abijt hora. rogo, num quid velit.
Recte, inquit, abeo, cum huc respicio ad virginem,
Illa sese interea commodum huc aduorterat
Hanc, redundat in metro. In † hanc nostram plateam. Pa. mirum, ni hanc dicit modo
Huic quæ data est dono. Ch. huc cum aduenio,
nulla erat.
Pa. Comites secuti scilicet sunt virginem?
Ch. Verum, parasitus cum ancilla. Pa. ipsa est, ilicet
Desine: iam conclamatum est. Ch. alias res agis.
Pa. Istuc ago equidem. Ch. nostin' quæ sit? dic mihi: aut
Vidistin'? Pa. vidi: noui: scio, quò abducta sit.
Alias, cho. Ch. † O Parmeno mi, nostin'? Pa. noui. Ch. O
scis, vbi siet?
Pa. Huc deducta est ad Thaidem meretricem: ei
dono data est.
Ch. Quis est tam potens cum tanto munere hoc?
Pa. miles Thraso,

Phædriæ riualis. Ch. duras fratris partes prædicas. Trochaic. Catalect.
Pa. Immò enim, si scias quod donum huic dono
contra comparet,
Tu magis id dicas. Ch. quodnam quæso hercle?
Pa. Eunuchum. Ch. Illumne obsecro
Inhonestum hominem, quem mercatus est heræ, senem mulierem?
Pa. Isthunc ipsum. Ch. homo quatietur certè cum
dono foras.
Sed istam Thaidem non sciuì nobis vicinam.
Pa. haud diu est.
Ch. Perij, nunquamne etiam me illam vidisse? eho
dum dic mihi:
Estne, vt fertur, forma? Pa. sane. Ch. at nihil ad
nostram hanc. Pa. alia res est.
Ch. Obsecro hercle Parmeno, fac vt potiar.
Pa. faciam sedulò, ac
Dabo operam adiuuabo: nunquid me aliud vis?
quò nunc is? Pa. domum,
Vt mancipia hæc, ita vti iussit frater, deducam
ad Thaidem.
Ch. O fortunatum istum Eunuchum, qui quidem in
hanc detur domum.
Pa. Quid ita? Ch. rogitas? summa forma semper Iamb. tet.
conseruam domi
Videbit, colloquetur: aderit vnà in vnis ædibus:
Cibum nonnunquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.

Pa. Quid si nunc tute fortunatus fias? Ch. quare Parmeno?
Responde. Pa. capias tu illius vestem. Ch. vestem? quid tum postea?
Pa. Pro illo te ducam. Ch. audio. Pa. te esse illum dicam. Ch. intelligo.
Pa. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo:
Cibum vnà capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias:
Quandoquidem illarum neq; quisquam te nouit, neq; scit qui sies
Trochaic. tetramet. Præterea forma, ætas ipsa est, facilè vt pro Eunucho probes.
Ch. Dixti pulchrè: nunquam vidi melius consilium dari.
Age, eamus intro nunc iam: orna me: abduc, duc, quantum potes.
Pa. Quid agis? iocabar equidem. Ch. garris. Pa perij, quid ego egi miser?
Quò trudis? perculeris iam tu me? tibi equidem dico, mane.
Ch. Eamus. Pa pergin? Ch. certum est. Pa. vide ne nimium callidum, hoc sit modo.
Ch. Non est profectò, sine. Pa. at enim istæc in me cudetur fabu: ah.
Flagitium, facinus. Ch. an id flagitium est, si in domum meretricem

Dedu-

Deducar, & illis crucibus, quæ nos, nostramq; adolescentiam
Habent despicatam, & quæ nos, semper omnibus cruciant modis,
Si legas: despecta, constat versus.
Nunc referam gratiam, atq; eas itidem fallam, vt ab illis fallimur?
An potius hæc pati? ah æquom est fieri, vt à me ludantur dolis.
Quod qui resciverint, culpent? illud merito factum omnes putent.
Pa. Quid istuc? si certum' st facere: facias: verùm ne pòst conferas
Culpam in me. Ch. non faciam. Pa. iubes ne? Ch. iubeo, cogo atq; impero.
Pa. Nunquam defugiam autoritatem: sequere. Ch. Dij vortant bene.

ACTVS III. SCENA I.

THRASO, GNATO, PARMENO.
Senarij iambici.

MAgnas vero gratias agere Thais mihi? Thrasonis εἰκών.
Gn. Ingenteis. Thr. ain' tu, læta est. Gn. non tam ipso quidem
Dono, quàm abs te datum esse, id vero seriò
Triumphat. Pa. huc prodiso, vt, vbi tempus fiet,
Deduam: sed eccum militem. Thr. est istuc datum
Profectò, vt grata sint mihi quæ facio omnia.
Gn. Aduorti hercle animum. Thr. vel rex semper maximas

Mihi agebat, quicquid facerem, alijs non item.
Gn. Labore alieno magno partam gloriam
Verbis sæpe in se transmouet, QVI HABET salē,
Donatus legit quod. † Qui in te est. Th. habes. Gn. rex te ergo in oculis?
Th. scilicet.
Gn. Gestire. Th. verum credere omnem exercitum,
Consilia. Gn. mirum. Th. tum sicubi eum societas
Hominum, aut negoci si quando odium cœperat,
Requiescere vbi volebat, quasi: nostin? Gn. scio.
Quasi vbi illam expueret miseriam ex animo.
Th. tenes:
Tum me conuiuam solum abducebat sibi. Gn. hui
Regem elegantem narras. Th. immò sic homo est
Perpaucorum hominum. Gn. immò nullorum arbitror.
Si tecum viuit. Th. inuidere omnes mihi,
Mordere clanculum: ego floccipendere:
Illi inuidere miserè, verum vnus tamen
Impensè, Elephantis quem Indicis præfecerat.
Is vbi molestus magis est, quæso, inquam, Strato,
Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
Gn. Pulchrè me herclè dictum & sapienter, papæ.
Iugularas hominem. quid ille? Th. mutus illicò.
Gn. Quidni esset? Pa. Dij vestram fidem, hominem perditum,
Miserumq; & illum sacrilegum. Th. Quid illud Gnatho.
Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio,

Nunquid

Nunquid tibi dixi? Gn. nunquam: sed narra obsecro:
Plus millies iam audiui. Th. vna in conuiuio
Erat hic, quem dico. Rhodius adolescentulus.
Forte habuit scortum: cœpit ad id illudere,
Et me irridere: quid agis, inquam homo impudens?
LEPVS TVTE ES, & pulpamentum quæris.
Gn. ha, ha, hæ.
Th. Quid est? Gn. facetè, lepidè, lautè, nihil supra.
Tuum † obsecrone hoc dictum erat? vetus credidi.
Th. Audieras? Gn. sæpe & fertur inprimis. Alias, te.
Th. meum est,
Dolet dictum imprudenti adolescenti, & libero.
Pa. at te dij perdant. G. quid ille quæso? T. perditus
Risu omnes, qui aderant, emoriri: deniq;
Metuebant iam omnes me. Gn. non iniuria,
Th. Sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaidi,
Quod ea me amare † suspicatur? Gn. nihil minus,
Immò auge magis suspicionem. T. Cur? G. rogas? Alias, suspicata.
Scin' si quando illa mentionem Phædriæ est.
Facit, aut si laudat, te vt male vrat? Th. sentio.
Gn. Id vt ne fiat, hæc res sola est remedio:
Vbi nominabit Phædriam: tu, Pamphilam
Continuò, si quando illa dicet Phædriam Deest syllaba Si legas Par sic pari, aut par mox pari, constat metrum.
Intromittamus commessatum: tu Pamphilam
Cantatum prouocemus, si laudabit hæc
Illius formam: tu huius contra. deniq;
† Tu par pari referto, quod eam mordeat.
T. Siquidem me amaret, tum istuc prodesset Gnatho.

Gn. quando

Gn. Quando illud quod tu das, expectat atq; amat.
Iamdudum amat te: iamdudum illi facile sit,
Alias, metuat. Quod doleat: metuet semper, quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus, tu alio conferas.
Alias, nec. Th. Bene dixti: at istuc mihi non in mentem venerat.
Gn. Ridiculum: † non enim cogitaras: cæterum
Idem hoc tuto melius quanto inuenisses Thraso?

ACTVS III. SCENA II.
Senarij.

In quid, eliditur d.

THAIS, THRASO, PARMENO, GNATHO, PYTHIAS.

AVdire vocem visa sum modo militis:
Atq; eccum: salue mi Thraso. Thr. ô Thais mea,
Meum suauium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac? Pa. quàm venustè? quod dedit
Principium adueniens. Th. plurimum merito tuo.
Gn. Eamus ergo ad cœnam: quid stas? Pa. hem alterum
Ex homine hunc natum dicas. Th. vbi vis non moror.
Pa. Adibo, atq; assimulabo, quasi non exeam.
Ituran' Thais quopiam es? Th. hem Parmeno,
Pene pol fecisti: hodie itura. Pa. quo? Th. † quid nunc vides?
Pa. Video, & me tædet. vbi vis, dona assunt tibi

A Phæ-

Phædria. Thr. quid stamus: cur non imus hinc?
Pa. Quæso hercle vt liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quæ volumus, conuenire & colloqui.
Thr. Per pulchra credo dona, haud nostris similia.
Pa. Res indicabit. heus, iubete istos foras
Exire quos iussi ocyus procede tu huc.
Ex Aethiopia est vsq; hæc. Thr. hìc sunt tres minæ.
Gn. Vix. Pa. vbi tu es Dore? accede huc: hem. Eunuchum tibi,
Quàm liberali facie, quàm ætate integra?
Th. Ita me Dij ament, honestus est. Pa. quid tu ais Gnatho?
Nunquid habes, quod contemnas? quid tu autem Thraso?
Tacent: satis laudant. fac periculum in literis,
Fac in Palestra: in Musicis: quæ liberum
Scire æquom est adolescentem, solertem dabo.
Thr. Ego illum Eunuchum, si opus siet, vel sobrius.
Pa. Atq; hæc qui misit, non sibi soli postulat.
Te viuere, & sua caussa excludi cæteros:
Neq; pugas narrat, neq; cicatrices suas
Ostentat: neq; tibi obstat, quod quidam facit:
Verùm, vbi molestum non erit, vbi tu voles,
Vbi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.
Thr. Apparet seruum hunc esse domini pauperis,
Miserq; Gn. nam hercle nemo posset, sat scio
Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
Pa. Tace tu: quem ego esse infra infimos omnes puto.

Homines:

Homines: nam qui hùc animum assentari induxeris,
E flamma te petere cibum posse arbitror.
Thr. Iamne imus? Th. hos prius introducam, & quæ volo,
Alias, Simul imperabo, postea continuò exeo.
post huc. Thr. Ego hinc abeo: tu istam opperire. Pa. haud conuenit,
Vna ire amica cum, imperatorem in via.
Th. Quid tibi ergo multa dicam? domini similis es.
Gn. Ha, ha, hæ. Thr. quid rides? Gn. istuc, quod dixti modo:
Et illud de Rhodio dictum in mentem venit.
Sed Thais exit. Thr. abi: præcurre, vt sint domi
Parata. Gn. fiat. Th. diligenter Pythias
Fac cures, si Chremes huc forte aduenerit,
Vt ores, primùm vt maneat, si id non commodum? st
Vt redeat? si id non poterit, ad me adducito:
Py. Ita faciam. Th. quid? quid aliud volùi dicere?
Hem curate istam diligenter virginem:
Domi asitis, facite. Thr. eamus. Th. vos me sequimini.

ACTVS III. SCENA III.

CHREMES. PYTHIAS.

Senarij Iambici. PRofectò quanto magis magisq; cogito,
Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malũ:
Ita me ab ea video astutè labefactarier,

Iam

Iam tum, cum primùm iussit me ad se accersier,
(Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem)
Vbi veni, caussam, vt ibi manerem, reperit:
Ait vem diuinam feciſſe, & rem seriam
Velle agere mecum. iam tum erat suspitio,
Dolo malo hæc fieri omnia, ipsa accumbere
Mecum, mihi seſe dare, sermonem quærere,
Vbi friget, huc euasit, quàm pridem pater
Mihi & mater mortua essent. dico, iam diu,
Rus Sunij ecquod habeam, & quàm longe à mari.
Credo ei placere hoc, sperat se à me auellere.
Postremò, ecqua inde parua periſſet soror,
Ecquis cum ea vnà, quid habuisset, cum perit,
Ecquis eam posset noscere: hæc cur quæritet?
Nisi illa fortè, quæ olim perit paruola
Soror, hanc se intendit esse, vt est audacia.
Verùm ea si viuit, annos nata est sedecim,
Non maior: Thais, ego quàm sum, maiuscula est.
Misit porrò orare, vt venirem seriò.
Aut dicat quod vult, aut molesta ne siet.
Non hercle veniam tertiò, heus heus. Py. hic quis est?
Ch. Ego sum Chremes. Py. ô capitulum lepidiſsimum.
Ch. Dico ego mihi insidias fieri. Py. Thais maxumo
Te orabat opere, vt cras redires. Ch. rus eo.
Py. Fac amabo. Ch. non possum inquam. Py. at apud nos hic mane,
Dum redeat ipsa. Ch. Nihil minus. Py. cur mi Chremes?

Ch. Malam rem hinc ibis. Py. si istuc ita certum 'st tibi,
Amabo, vt illuc transeas, vbi illa est. Ch. eo.
Py. Abi Dorias, citò hunc deduce ad militem.

ACTVS III. SCENA IIII.

ANTIPHO.

Iambici tetrametri catalectici.

Addit alium adolescentem, vt sit occasio narrandi facinus Chreæ.

HEri aliquot adolescentuli coimus in Peiræo,
In hunc diem vt de symbolis essemus. Chæream ei rei
Præfecimus: dati annuli: locus, tempus constitutum 'st.
Præterijt tempus: quo in loco dictum 'st, parati nihil est.
Homo ipse nusquam est: neq; scio, quid dicam, aut quid coniectem.
Nunc mihi hoc negoti cæteri dedere, illũ vt quæram,
Ibo ad eum, visam, si domi est, quisnam hìc à Thaide exit?
Is est, an non est? ipsus est. quid hoc hominis? qui hic ornatus est?
Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neq; conijcere,
Nisi, quicquid est, procul hinc libet prius, quid sit, scisciturari.

ACTVS

CHÆREA, ANTIPHO.

NVnquis hìc est? nemo est. nunquis hinc me sequitur? nemo homo 'st. — Trochaic. tetrameter catalect.
Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? prô Iuppiter,
Nunc est profecto interfici, cum perpeti me possum, — Iam. tetra. catalect.
Ne hoc gaudium contaminet vitam ægritudine aliqua.
Sed neminem ne curiosum interuenire nunc mihi, — Senarĩ a catalect.
Qui me sequatur, quoque eam rogitando obtundat, enecet, — Alias, quique iam.
Quid gestiam, aut quid lætus sim, quò pergam, vnde emergam, vbi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quæram, sanus sim, an ne insaniam? — Catalect.
A. adibo, atq; ab eo gratiam hanc, quam video velle inibo.
Chærea, quid est, quod sic gestis? quidue sibi hic vestitus quærit?
Quid est? quod lætus sis? quid tibi vis? satis ne sanus? quid me
Aspectas? quid taces? Ch. ô festus dies hominis: amice
Salue, nemo est omnium, quem ego magis nunc cuperem, quàm te.
A. Narrá istuc, quæso, quid siet. Ch. immò ego te obsecro hercle, vt audias. — Acatalect.

Narratio, in qua Chærea cõmemorat suum facinus sodali. Erat enim idoneus congerro fingendus, apud quẽ ista liberè effutiret.

Nosti' hanc, quam amat frater? A. noui nempe opinor Thaidem. Troch.tet.cat.
Ch. Istam ipsam. A. sic commemineram. Ch. hodie quædam est ei dona data Iam.cat.
Virgo: quid ego eius tibi nunc faciem prædicem, aut laudem Antipho, Troch.cat.
Cum ipsum me noris, quàm elegans formarum spectator siem? Iamb.acat.
In hanc commotus sum. A. ain tu? Ch. primam dices scio, si videris.
Quid multa verba: amare cœpi, forte fortuna domi
Erat quidam Eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:
Neq; is deductus etiam tum ad eam. submonuit me Parmeno
Ibi seruos quod ego arripui. A. quid id est? Ch. tacesis † citius audies.
Vt vestem cum eo mutem, & pro illo iubeam me illò ducier.
A. Pro Eunuchon'? Ch. sic est. A. quid ex ea re tandem vt caperes commodi?
Ch. Rogas? viderem, audirem, essem vnà, qua cum cupiebam Antipho.
Num parua caussa, aut parua ratio est? traditus sum mulieri.
Illa ilicò vbi me accepit, læta verò ad se abduci domum.

Commendat virginem. A. cui? tibine? Ch. mihi. A. satin tuto tamen.
Ch. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat: & mihi, ne abscedam, imperat,
In interiore parte vt maneam solus cum sola: annuo,
Terram intuens modestè. A. miser, Ch. ego inquit ad cœnam hinc eo.
Abducit secum ancillas: paucæ, quæ circum illam essent, manent
Nouitiæ puellæ. continuò hæc adornant, vt lauet.
Adhortor properent. dum apparatur, virgo in conclaui sedet,
Suspectans tabulam quandam pictam, vbi inerat pictura hæc, Iouem
Quo pacto Danaë misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoq; id spectare cœpi: & quia consimilem luserat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem conuertisse, atq; per alienas tegulas
Venisse † clanculum per impluuium, fucum factum mulieri:
At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ac lubens

Trochaic. catalect.

Hæc, pro hæc: Riuius.

Nisi leges clam, metrum non constat.

Catalect. Dum hæc mecum reputo, accersitur lauatum interea virgo:

Trochaï, catalect. It, lauit, redit: deinde illam in lecto illæ collocant.
Sto expectans, si quid mihi imperent: venit vna,

Iam. cata. heus tu, inquit, Dore
Cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito, dum lauamur.
Vbi nos lauerimus, si voles lauato: accipio tristis.
A. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem
Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum.
Ch. Vix elocuta est hoc, foras simul omnes prorumpunt se:
Abeunt lauatum, perstrepunt, ita vt fit, domini vbi absunt.
Interea somnus virginem opprimit. ego limis aspecto
Sic per flabellum clanculum, & simul alia circumspecto,
Satin explorata sint: video esse. pessulum ostio obdo.
A. Quid tum? Ch. quid tum fatue? A. fateor.
Ch. an ego occasionem
Mihi ostentatam, tam breuem, tam optatam, tam insperatam
Amitterem? tum pol ego is essem verè, qui asimulabar.

A. Sane

A. Sane hercle, vt dicis. sed interim de symbolis quid actum est?
Ch. Paratum est. A. frugi es: vbi? domi ne? Ch. immò apud Libertum Discum.
A. Perlongè est, sed tanto ocyus properemus: muta vestem.
Ch. Vbi mutem? perij: nam domo exulo: nunc metuo fratrem,
Ne intus sit: porro autem, pater ne rure redierit iam.
A. Eamus ad me, ibi proximum est, vbi mutes.
Ch. recte dicis.
Eamus de istac simul, quo pacto porro possim
Potiri, consilium volo capere vnà tecum. A. fiat.

ACTVS IIII. SCENA I.

DORIAS.

ITA me Dij bene ament, quantum ego illum vidi, nonnihil timeo misera, Iam. tetra. catalect.
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi: Trochaï. catalect.
Nam postquam iste aduenit Chremes adolescens, frater virginis,
Militem rogat, vt eum admitti iubeat? ille continuò irasci, Trochaï. tetrameter acatalect.
Meq; negare audere: Thais porro instare, vt hominem inuitet. Octona. catalect.

Id faciebat retinendi illius causſa: quia, illa quæ cupiebat

Trochaic. catalect. De ſorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat.

Inuitat triſtis, manſit ibi. illa cum illo ſermonẽ illicò.

Miles vero ſibi putare adductum ante oculos æmulum:

Niſi legas puere, non conſtat verſus iambicus tetra. Voluit facere contra hùc ægrè: heus, inquit, puer Pamphilam

Accerſe, vt delectet hîc nos. illa exclamat, minimè gentium,

In cõmuuium illam? miles tendere inde ad iurgium.

Sed prima ſyllaba, Accerſe, pertinet ad verſũ præcedentem. Interea durum ſibi clam mulier demit, dat mihi vt auferam:

Hoc eſt ſigni, vbi primum poterit, ſe illinc ſubducet ſcio.

ACTVS IIII. SCENA II.

Senarij.

PHÆDRIA.

DVM vius eo, cœpi egomet mecum inter vias,

Ita vt fit, vbi quid in animo eſt moleſtiæ,

Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in

Peiorem partem: quid opus eſt verbis? dum hæc pu-

Præterij imprudens villam, longè iam abieram, (to,

Cum ſenſi: redeo riurſum, malè vero me habens:

Vbi ad ipſum veni diuorticulum, conſtiti:

Occœpi mecum cogitare; hem, biduum hîc

Manen-

Manendum eſt ſoli, ſine illa? quid tum poſtea?

Nihil eſt quid? nihil? ſi non tangendi copia eſt,

Eho, ne videndi quidem erit? ſi illud non licet,

Saltem hoc licebit: certè extrema linea,

Amare, haud nihil eſt, villam prætereo ſciens.

Sed quid hoc eſt, quod timida ſubitò egreditur Pythias?

ACTVS IIII. SCENA III.

PYTHIAS, DORIAS, PHÆDRIA.

Iambici tetrametri cataleCtici.

VBI ego illum ſceleroſum miſera, atq; impium inueniam? aut vbi quæram? Epitaſis vtriuſque partis in fabula, ſuntq; tantum narrationes facti.

Hoccine tam audax facinus facere eſſe auſum? perij. Ph. hoc quid ſit vereor. Trochai. cata.

Py. Quinetiam inſuper ſcelus, poſtquam ludificatus eſt virginem. Octona: acataleCt.

Veſtem omnem miſerè diſcidit, tum ipſam capillo conſcidit.

Ph. Hem. Py. quì nunc ſi detur mihi, Dimeter.

Vt ego vnguibus facilè illi in oculos inuolem venefico?

Ph. Neſcio quid profectò abſente nobis turbatum eſt domi, Trochaic. cataleCt.

Adibo. quid iſtuc? quid feſtinas? aut quem quæris Pythias? Iam. tetra.

Py. Hem Phædria, egon' quem quæram? i hinc, quò dignus es cum donis tuis Iam. trim.

Iambici tetramet. Tam lepidis. Ph. quid istuc est rei?
Py. Rogas me? Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit?
Virginem, quam heræ dono dederat miles, viciauit.
Ph. quid ais?

Trochai. Py. Perij. Ph. temulenta es. Py. vtinam sic sint, qui mihi malè volunt.

Iam qua. Do. Au, obsecro mea Pythias, quod istuc nam monstri fuit?
Py. Insanis: quî istuc facere Eunuchus potuit?
Py. ego illum nescio

Trimetri tetramet. Quî fuerit: hoc, quod fecit, res ipsa indicat:
Virgo ipsa lachrumat, neq;, cùm rogites quid sit, audet dicere.
Ille autem bonus vir nusquam apparet, etiam hoc miseræ suspicor,

Trochai. tetramet. Aliquid domo abeuntem abstulisse. Ph. nequeo mirari satis,

Trochai. tetramet. Quò ille abire ignauus posit longius, nisi si domum

Redundat syllaba. Forte ad nos redijt. Py. vise amabo, num sit.
Ph. iam faxo scies.

Trochai. catalect. Do. Perij, obsecro tam infandum facinus mea tu, ne audiuì quidem.
Py. At pol ego amatores audieram esse mulierum eos maximos,
Sed nihil potesse: verùm miseræ non in mentem venerat.

Nam

Nam illum aliquo concluſſem, neq; illi commiſiſſem virginem.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

PHÆDRIA, DORVS, PYTHIAS, DORIAS.

Senarij.

EXI foras sceleste: at etiam restitas
Fugitiue? prodi, malè conciliate. Do. obsecro.
Ph. oh.
Illud vide os vt sibi distorsit carnifex.
Quid huc reditio est? quid vestis mutatio est?
Quid narras? paululum si cessassem Pythias,
Domi non offendissem, ita iam adornabat fugam.
Py. Habes ne hominem amabo? Ph. quidni habeam.
Py. ô factum bene.
Do. Istuc pol verò bene. Py. vbi est? Ph. rogitas? non vides?
Py. Videam obsecro, quem? Py. hunc scilicet.
Py. quis hic est homo?
Ph. Qui ad vos deductus hodie est. Py. hunc oculis suis
Nostrarum nunquam quisquam vidit Phædria.
Ph. non vidit? Py. an tu hunc credidisti esse obsecro
Ad nos deductum? Ph. nanq; alium habui neminem.
Py. au,
Ne comparandus hic quidem ad illum est, ille erat

Honesta

Error Phædriæ iucūdus in fabula, qui Dorū adductum ad Thaidem putat. Et scena magna ex parte consumitur in narrationibus.

Honesta facie, & liberali. Ph. ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Trochaic. tetrametri catalect. Senarij. Nunc eò tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
Py. Tace obsecro: quasi vero paulum intersiet.
Ad nos deductus est hodie adolescentulus,
Quem tu vero videre velles Phædria.
Hic est vetus, vietus, veternosus, senex,
Iamb septem pedum. Colore mustellino. Ph. hem, quæ hæc est fabula?
Eò redigis me, vt, quid egerim, egomet nesciam.
Eho tu, emin' ego te? Do. emisti. Py. iube mihi demo
Respondeat. Ph. roga. Py. venistin' hodie ad nos?
negat.
Trimeter. At ille alter venit annos natus sedecim:
Quem secum adduxit Parmeno. Ph. agedum, hoc
mihi expedi:
Primùm istam, quam habes, vnde habes, vestem? taces?
Monstrum hominis, non dicturus? Do. venit Chærea.
Ph. Frater ne? Do. ita. Ph. quando? Do. hodie. Ph.
quamdudum? Do. modo.
Ph. Qui cum? Do. cum Parmenone. Ph. noras ne
eum prius?
D. Non. Ph. vnde igitur fratrem meum esse sciebas?
Do. Parmeno
Dicebat eum esse: is dedit hanc mihi vestem.
Induit, dis syllabum est. Ph. occidi.
Do. Meam † ipse induit, pòst vnà ambo abierunt
foras.

Py. Iam

Py. Iam satis credis sobriam esse me, & nihil men- Trocha. catalect.
titam tibi?
Iam satis certum est, virginem viciatam esse?
P. age nunc bellua,
Credis huic quod dicat? Py. quid isti credam? res
ipsa indicat.
Ph. Concede istuc paululum, audin'? etiam nunc pau-
lulum sat est.
Dic dum hoc rursum, Cherèan' tuam vestem de-
traxit tibi?
Do. Factum. Ph. & ea est indutus? Do. factum.
Ph. & pro te huc deductus est? Do ita.
Ph. Iuppiter magne, ô scelestem atq; audacem ho-
minem. Py. væ mihi.
Etiam nunc non credis, indignis nos irrisas mo- Trochaic. catalect.
dis?
Ph. Mirum ni tu credis quod iste dicat. quid agam
nescio.
Heus tu, negato rursum. possumne hodie ex te ex- Trochaic.
culpere
Verum? vidistin' fratrem Chæream? Do. non.
Ph. non potest
Sine malo fatevi, video: sequere hac: modo ait, mo-
do negat.
Ora me. D. obsecro te verò Phædria. Ph. i intrò.
Do. hoi, hei. Deest syllaba, forté Nunc.
Ph. † Alio pacto honestè quo modo hinc abeam,
nescio.

Actum

Actum est, siquidem tu me hîc etiam nebulo ludificabere?

Py. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quàm me viuere.

Hodie, prima producitur, hodie. Do. Sic est. Py. inueniam pol † hodie, parem vbi referam gratiam.

Sed quid nunc faciundum censes Dorias? D. de istac rogas

Tu, superest. Virgine? Py. ita, vtrum taceâmne, an prædicem? Do. † tu pol, si sapis,

Quod scis nescis, neq; de Eunucho, neq; de vicio virginis.

Hac re & te omni turba euolues, et illi gratũ feceris.

Id modo dic, abisse Dorum. Py. ita faciam. Do. sed videon' Chremem?

Thais iam aderit. Py. quid ita? Do. quia, cum inde abeo, iam tum inceperat

Turba inter eos. Py. tu aufer aurum hoc, ego scibo ex hoc, quid siet.

ACTVS IIII. SCENA V.

CHREMES, PYTHIAS.

Iam tetra. AT at, data hercle verba mihi sunt, vicit vinum quod bibi.

Ac dum accubabam, quàm videbar mihi esse pulchrè sobrius?

Postquam surrexi, neq; pes, neq; mens suum satis officium facit.

Py. Chreme.

Py. Chreme. Ch. quid est? ehem Pythias, vah, quanto nunc formosior

Videre mihi, quàm dudum? Py. certè tu quidem pol multo hilarior.

Ch. Verbum hercle hoc verum est: SINE CERERE ET LIBERO, friget Venus. Iam tetra.

Sed Thais multo ante venit? Py. an abijt iam à milite?

Ch. Iamdudum ætatem: lites sunt inter eos factæ maximæ.

Py. Nihil dixit tum, vt sequerere sese? Ch. nihil, nisi abiens mihi innuit.

Py. Eho, nonne id sat erat? Ch. at nesciebam id dicere illam, nisi quia

Correxit miles, quod intellexi minus, nam me extrusit foras.

Sed eccam ipsam: miror vbi ego hùic anteuorterim.

ACTVS IIII. SCENA VI.

THAIS, CHREMES, PYTHIAS.

CRedo equidem illum iam affuturum esse, vt illam à me eripiat: sine, Troch tet. catalect.

Veniat, atquì si illam digito attigerit vno, oculi illicò

Effodientur, vsq; adeo ego illius ferre possum ineptias,

Et magnifica verba, verba dum sint: verum enim si ad rem

Confe-

Conferentur, vapulabit.
Ch. Thais, ego iamdudum hîc sum. Th. ô mi Chreme, te ipsum expecto:
Scin' tu turbam hanc te propter esse factam? & adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? Ch. ad me? quî? quasi istuc. Th. quia dum tibi sororem studeo
Reddere, & restituere, hæc, atq; huiusmodi sum multa passa.
Ch. Vbi est? Th. domi apud me. Ch. hem. Th. quid est?
Educta ita, vti teq; illaq; dignum est. Ch. quid ais? Th. id quod res est.
Hanc tibi dono do, neq; repeto pro illa quicquam abs te precij.
Ch. Et habeatur, & referatur à me Thais tibi, ita, vti merita es, gratia.
Th. At enim caue, ne prius quàm hanc à me accipias, amittas Chreme,
Nam hæc ea est, quàm miles à me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, cistellam Pythias domo effer cum monumentis.
Ch. Viden' tu illum Thais? Py. vbi sita est? Th. in risco: odiosa cessas?
Alias, Milium. Ch. Militem secum ad te quantas copias adducere? At at, Th. num formidulosus es, obsecro mi homo? Ch. apage sis.

Ego

Ego formidulosus? nemo est hominum, qui viuat minus.
Th. atq; ita opus est. Ch. au, metuo, qualem me esse hominem existimes.
Th. Immò hoc cogitato: qui cum res tibi est, peregrinus est,
Minus potens, quàm tu, minus notus, amicorum hîc habens minus.
Ch. Scio istuc. Sed TV QVOD CAVERE poßis, stultum admittere est.
Malo ego nos prospicere, quàm hunc vlcisci acceptam iniuria.
Tu abi, atq; ostium obserua intus, ego dum hinc transcurro ad forum:
Volo ego adesse hîc aduocatos in turba hac.
Th. mane, mane.
Ch. Melius est. Th. mane. Ch. omitte, iam adero.
Th. nihil opus est istis Chreme:
Hoc modo dic, sororem esse illam tuam, & te paruam virginem
Amisisse, nunc cognosse: signa ostende. Py. assunt.
Th. cape.
Si vim faciet, in ius ducito hominem: intellextin'? Ch. probè.
Th. Fac animo hæc præsenti dicas. Ch. faciam.
Th. attolle pallium.
Perij, huic ipsi opus est patrono, quem defensorem paro.

ACTVS IIII. SCENA VII.

THRASO, GNATHO, SANGA, CHREMES, THAIS.

Epithasis ridicula. Thraso venit oppugnatum ædes Thaidis: estq; exitus harum minarum dignus Thrasone, sicut vulgo dici solet: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Jo quid, eluditur d.

HAuccine ego vt contumeliam tam insignem in me accipiam Gnatho? octona. Mori me † satius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini. In satius, eliditur s. Primùm ædes expugnabo. Gn. recte. Thr. virginem eripiam. Gn. probè. Thr. Malè mulctabo ipsam. Gn. pulchrè. Thr. in medium hoc agmen cum vecti Donax, Tu Simalio in sinistrum cornu, tu Syrisce in dexterum. Cedo alios: vbi Centurio est Sanga, & manipulus fursum? Sa. eccum adest. Thr. Quid ignaue? periculon' pugnare, quà istunc huc portes, cogitas? Aliàs, ist. Sa. Egone? imperatoris virtutem noueram, & vim militum: Sine sanguine fieri hoc non posse, quà abstergerem vulnera. Thr. Vbi alij? Sa. quà (malum) alij? solus Sannio seruat domi. Thr. Tu hosce instrue: hìc ego ero post principia: inde omnibus signum dabo. Gn. Illuc est sapere: vt hosce instruxit, ipsus sibi caut loco.

Thr. Idem

Thr. Idem hoc iam Pyrrhus facitauit. Ch. viden' tu Thais, quam hic rem agit? Nimirum consilium illud rectum est de concludendis ædibus. Th. Sane, quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est: Ne metuas. Th. quid videtur? Gn. fundam tibi nunc nimis vellem dari, Vt tu illos procul hinc ex occulto cæderes? facerent fugam. Thr. Sed eccam Thaidem ipsam video. Gn. quam mox irruàmus? Thr. mane, OMNIA PRIVS EXPERIRI, quàm armis, sapientem decet. Qui scis, an quæ iubeam, sine vi faciat? Gn. Dij vostram fidem, Quanti est sapere? nunquam accedo, quin abs te abeam doctior. Th. Thais, primum hoc mihi responde: cum tibi do istam virginem, Dixtin' mihi hos dies soli dare te? Th. quid tum? postea? Thr. rogitas? Quæ mihi ante oculos amatorem coràm adduxti tuum. Th. Quid cum illo agas? Thr. & cum eo, clam, te subduxti mihi? Th. Libuit. Thr. Pamphilam ergo huc redde, nisi si mauis eripi.

 Ch. Tibi

Ch. Tibi illam reddat? aut tu eam tangas? omnium. Gn. ah, quid ais? tace.
Ch. Quid tu tibi vis? Thr. ego non tangam meam? Ch. tuam autem furcifer?
Gn. Caueſis: neſcis, cui maledicas nunc viro.
Ch. Non tu hinc abis?
Scin' tu, vt tibi res ſeſe habeant? ſi quicquam hodie hîc turbæ cœperis,
Faciam, vt huius loci, dieiq; meiq; ſemper memineris.
Gn. Miſeret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.

Videmur Crecici. Ch. Diminuam ego caput tuum hodie, niſi abis.
Gn. ain' vero canis?

Trochaic. Siccine agis? Thr. quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi eſt?
Ch. Scibis: principiò eam eſſe dico liberam. Thr. hem. Ch. Ciuem Atticam. Thr. hui.
Ch. Meam ſororem. Thr. os durum. Ch. miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias villam in illam, Thais, ego ad Sophronem eo
Nutricem, vt eam adducam, & ſigna oſtendam hæc.
Thr. tun' me prohibeas,
Meam ne tangam? Ch. prohibeo inquam. Gn. audin' tu, hic furti ſe alligat.
Ch. Satin' hoc eſt tibi? Th. idem hoc tu ais Thais? Th. quære, qui reſpondeat.

Thr. Quid

Thr. Quid nunc agimus? Gn. quin redeamus? iam hæc tibi aderit, ſupplicans
Vltrò. Thr. credin'? Gn. immò certè noti ingenium mulierum:
Nolunt, vbi velis: vbi nolis, cupiunt vltrò.
Thr. bene putas.
Gn. Iam dimitto exercitum? Thr. vbiuis. G. Sanga, ita vti ſoleis decet
Milites, domiq; foriq; fac vicissim vt memineris.
Sa. Iamdudum animus eſt in patinis. Gn. frugi es.
Thr. vos me hac ſequimini.

ACTVS V. SCENA I.

Senarij.

THAIS, PYTHIAS.

PEregin' ſceleſta mecum perplexè loqui?
Scio, neſcio: abijt: audiui: ego non affui.
Non tu iſtuc mihi dictura apertè es, quicquid eſt?
Virgo conſciſſa veſte lachrimans, obticet.
Eunuchus abijt, quamobrem: quid factum eſt, taces?
Py. Quid tibi ego dicam miſera? illum Eunuchum negant
Fuiſſe. Th. quis fuit igitur? Py. iſte Chærea.
Th. Qui Chærea? Py. iſte ephebus frater Phrædriæ.
Th. Quid ais venefica? Py. atqui certò comperi.
Th. Quid'is obſecro ad nos, aut quamobrem adductus eſt? Py. neſcio.

Nisi amasse credo Pamphilam. Th. hem misera occidi
Infelix, siquidem tu istæc vera prædicas.
Num id lachrumat virgo? Py. id opinor. Th. quid ais sacrilega?
Isthuccine interminata sum hinc abiens tibi?
Py. Quid faceyem? ita vt tu iussti, soli credita est.
Th. Sceleſta, LVPO OVEM commisisti, dispudet
Sic mihi data esse verba. quid illic hominis est?
Py. Hera mea tace, tace obsecro, saluæ sumus:
Habemus hominem ipsum. Th. vbi is est? Py. hem ad sinistram, vides
Ne? Th. video. Py. comprehendi iube, quantum potest.
Th. Quid illo faciemus stulta? P. quid faciam, rogas?
Vide amabo; si non, cum adspicias, os impudens
Videtur, non est? tum quæ eius confidentia est?

ACTVS V. SCENA II.

CHÆREA, THAIS, PYTHIAS. Iambici trimetri.

APud Antiphonem vterq; mater & pater,
Quasi dedita opera, domi erant, vt nullo modo
Introire possem, quin viderent me. interim (do
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obuiam
Venit, vt vidi, ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam desertum, inde item
In aliud, inde in aliud: ita miserrimus

Fù fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed estne hæc Thais, quam video? ipsa est, hæreo.
Ah, quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi,
Th. Adeamus, bone vir Dore, salue: dic mihi, Expostulatio Thaidis cum Chærea.
Aufugistin'? Ch. Hera factum. Th. Satin' id tibi placet?
Ch. Non. Th. credin' te impunè habiturum? Ch. vnam hanc noxiam
Amitte: si aliam admisero vnquam, occidito.
Th. Num meam sæuitiam veritus es? Ch. non. Th. quid igitur?
Ch. Hanc metuã, ne me criminaretur tibi.
Th. Quid feceras? Ch. pauludum quãddam. Nisi legas paulum, non constat versus.
Py. eho, paululum impudens?
An paululum hoc esse tibi videtur, virginem
Viciare ciuem? Ch. conseruam esse credidi.
Py. conseruam? vix me contineo, quin inuolem in
Capillum. monstrum, etiam vltrò derisum aduenit.
Th. Abi hinc insana. Py. quid ita vero? debeam?
Credo, isti quicquam furcifero, si id fecerim,
Præsertim cùm se seruom fateatur tuum?
Th. Missa hæc faciamus, non te dignum Chærea
Feciſti: nam si ego digna hac contumelia
Sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen.
Neq; ædepol, quid nunc consili capiam, scio,
De virgine istac, ita conturbasti mihi
Rationes omnes, vt eam non possem suis,
Ita vt æquom fuerat, atq; vt studui, tradere,

Vt ſolidum parerem hoc mihi beneficium Chærea.
Ch. At nunc de hinc ſpero æternam inter nos gratiã
Fore Thais, ſæpe ex huiuſmodi re quapiam, &
Malo ex principio, magna familiaritas
Conflata eſt, quid? ſi hoc quiſpiam voluit Deus?
Th. Equidem pol in eam partem accipioq; & volo.
Ch. Immò ita quæſo vnum hoc ſcito, contumeliæ
Non me feciſſe cauſſa, ſed amoris. Th. ſcio.
Et pol propterea magis nunc ignoſco tibi.
Non adeo inhumano ingenio ſum Chærea,
Neq; tam imperita, vt, quid amor valeat neſciam.
Ch. Te quoq; iam Thais, ita me Dij bene ament, amo.
Py. Tum pol tibi ab iſtoc hera cauendum intelligo.
Ch. Non auſim. Py. nihil tibi quicquam credo.
Th. deſinas.
Ch. Ego me tuæ commendo & committo fidei.
Nunc ego te in hac re mihi oro vt adiutrix ſies:
Te mihi patronam cupio Thais: te obſecro:
Emoriar, ſi non hanc vxorem duxero.
Th. Tamen ſi pater. Ch. ah, quid? volet, certò ſcio.
Ciuis modo hæc ſit. Th. paululum operirier
Si vis, iam frater ipſe hîc aderit virginis:
Nutricem accerſitum ijt, quæ illam aluit paruolam:
In cognoſcendo tute ipſe hîc aderis Chærea.
Ch. Ego vero maneo. Th vis ne interea dum is venit,
Domi opperiamur potius, quàm hîc ante oſtium.
Ch. Immò percupio. Py. quam tu rem actura obſecro es?

Th. Nam

Th. Nam quid ita? Py. rogitas? hunc tu in ædeis
cogitas
Recipere poſthac? Th. cur non? Py. crede hoc
meæ fidei,
Dabit hic pugnam aliquam denuo. Th. au, tace
obſecro.
Py. Parum perſpexiſſe eius videre audaciam.
Ch. Non faciam Pythias. Py. non pol credo Chærea,
Niſi ſi commiſſum non erit. Ch. quin Pythias
Tu me ſeruato. Py. neq; pol ſeruandum tibi
Quicquam dare auſim, neq; te ſeruare, apage te.
Th. Adeſt optumè ipſe frater. Ch. perij hercle:
obſecro
Abeamus intrò Thais: nolo, me in via
Cum hac veſte videat. Th. quamobrem tandem?
an quia pudet?
Ch. Id ipſum. Py. id ipſum? virgo vero? Th. i præ,
ſequor.
Tu iſtic mane, vt Chremem introducas Pythias.

In Adeſt, prior ſyllaba pertinet ad verſum præcedentem.

ACTVS V. SCENA III.

PYTHIAS, CHREMES.
SOPHRONA.

QVid? quid venire in mentem nunc poſſit Senũ
mihi,
Quidnam? quî referam illi ſacrilego gratiam,
Qui hunc ſuppoſuit nobis? Ch. move verò ocyus
Tenutrix. S. moueo. Ch. video, ſed nihil promoues.

Py. Iámne oſtendiſti ſigna nutrici? Ch. omnia.
Py. Amabo quid ait? cognoſcitne? Ch. ac memoriter.
Py. Bene ædepol narras: nam illi faueo virgini.
Ite intrò: iamdudum hera vos expectat domi.
Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video: vide, vt ocioſus it, ſi Dijs placet,
Spero me habere, qui nunc meo excruciem modo.
Ibo intrò, de cognitione vt certum ſciam:
Pòſt exibo, atq; hunc perterrebo ſacrilegum.

ACTVS V. SCENA IIII.

PARMENO. PYTHIAS.

Senarij. REuiſo, quidnam Chærea hic rerum gerat.
Quod ſi aſtu rem tractauit, dij voſtram fidem,
Quantam, & veram laudem capiet Parmeno?
Nam vt omittam, quod ei amorem difficillimum, &
Cariſſimum ab meretrice auara: virginem
Quam amabat eam conſeci ſine moleſtia,
Sine ſumptu, ſine diſpendio. tum hoc alterum,
Id verò eſt, quod ego mihi puto palmarium,
Me repperiſſe, quomodo adoleſcentulus
Meretricum ingenia & mores poſſet noſcere:
Maturè vt cùm cognorit, perpetuò oderit.
Quæ, dum foris ſunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compoſitũ quicquam, nec magis elegans,
Quæ, cùm amatore ſuo cùm cœnant, liguriunt.
Harum videre ingluuiem, ſordes, inopiam,

Quàm

Quàm inhoneſtæ ſolæ ſint domi, atq; auidæ cibi,
Quo pacto ex iure heſterno panem atrum vorent:
Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcentulis.
Py. Ego te pol pro iſtis dictis & factis. ſcelus,
Vlſciſcar, vt ne impunè in nos illuſeris.

ACTVS V. SCENA V.

PYTHIAS, PARMENO.

PRô fidem Deũm, facinus fœdum: ô infelicem adoleſcentulum, Trochaic. catalect.
O ſceleſtum Parmenonem, qui iſtum huc adduxit.
Pa. quid eſt?
Py. Miſeret me? itaq; vt viderem, miſera huc effugi foras.
Quæ futura exempla dicunt in eum indigna?
Pa. ô Iuppiter,
Quæ illæc turba eſt? numnam ego perij? adibo. quid iſtuc Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? Py. rogitas audaciſime?
Perdidiſti ipſum quem adduxti pro Eunucho, adoleſcentulum,
Dum ſtudes dare verba nobis. Pa. quid ita? aut quid factum eſt? cedo.
Pa. Dicam: virginem iſtam, Thaidi hodie quæ dono data eſt,
Scin' eam hinc ciuem eſſe? & fratrem eius adprimè nobilem?

Pa. Neſcio.

Pa. Nescio. Py. atquì sic inuenta est? eam iste vi-
ciauit miser.
Ille vbi resciuit frater violentissimus:
Pa. Quidnam fecit? Py. colligauit primùm eam mi-
seris modis. Pa. † hem,
Hem, extra metrũ est.
Colligauit? Py. atq; quidem orante, vt ne id face-
ret, Thaïde.
Pa. Quid ais? Py. nunc minitatur porrò sese id,
quod mœchis solet.
Quod ego nunquam vidi fieri, neq; velim. Pa. qua
audacia
Tantum facinus audet? Py. quid ita tantum?
Pa. an non hoc maximum est?
Quis homo pro mœcho nunquam vidit in domo me-
retricia
Deprehendi quenquam? Py. nescio. Pa. at ne hoc
nesciatis Pythias,
Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem filium.
Py. hem,
Obsecro an is est? Pa. ne quam in illum Thais vim
fieri sinat:
Atq; adeo autem, cur non egomet intrò eo? Py. vide
Parmeno
Quid agas, ne neq; illi prosis, & tu pereas: nam hoc
putant,
Quicquid factum est, ex te esse ortum. Pa. Quid
igitur faciam miser?

Quidue

Quidue incipiam? ecce autem video rure redeun-
tem senem,
Dicam huic, an non? dicam hercle: etsi mihi ma-
gnum malum
Scio paratum: sed necesse est, huic vt subueniat.
Py. sapis:
Ego abeo intrò: tu isti narrato omnem ordinem, vt
factum fiet.

ACTVS V. SCENA VI.

ELACHES senex, PARMENO,

Senarij. Præparatio Catastrophes.

EX meo propinquo rure hoc capio commodi:
Neq; agri, neq; vrbis odium me vnquam per-
cipit.
Vbi satietas cœpit fieri, commuto locum.
Sed estne ille noster Parmeno? & certè ipsus est.
In Sed, aue elicitur, aut d.
Quem præstolare Parmeno hîc ante ostium?
Pa. Quis homo est? ehem, saluom te aduenire here
gaudeo.
La. Quem præstolare? Pa. perij: lingua hæret
metu. La. hem,
Quid est? quid trepidas? satine salue? dic mihi.
Pa. Here, primũ te arbitrari id, quod res est, velim:
Quicquid huius factum est, culpa non factũ est mea.
La. Quid? Pa. recte sane interrogasti, oportuit
Rem prænarrasse me. emit quendam Phædria
Eunuchum, quem dono huic daret. La. cui?
Pa. Thaïdi.
La. Emit? perij hercle, quanti? Pa. viginti minis.

La. Actum

La. Actum est. Pa. tum quandam fidicinam amat hic Chærea.
La. Hem, quid amat? an scit iam ille, quid meretrix siet?
An in asu venit? aliud ex alio malum.
Pa. Here, ne me spectes: me impulsore hæc non facit.
La. Omitte de te dicere, ego te furcifer,
Si viuo. sed illuc, quicquid est, primum expedi.
Pa. Is pro illo Eunucho ad Thaidem hanc deductus est.
La. Pro Eunuchon'? Pa. sic est. hunc pro mœcho postea
Comprehendere intus, & constringere. La. occidi.
Pa. Audaciam meretricum specta. La. nunquid est
Aliud mali, damniue, quod non dixeris
Reliquom? Pa. tantum est. La. cesso huc intrò irrumpere?
Pa. Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum,
Nisi, quia necesse fuit hoc facere. id gaudeo,
Propter me hisce aliquid esse euenturum mali:
Nam iamdiu aliquam caussam quærebat senex,
Quamobrem insigne aliquid faceret ijs, nunc reperit.

ACTVS V. SCENA VII.

Iambici tetrametri catalecti.

PYTHIAS,

PYTHIAS, PARMENO.

Error Parmenonis derisi ab ancilla, augget gratiã fabulæ.

Nvnquam ædepol quicquam iamdiu, quod magis vellem euenire,
Mihi euenit, quàm quod modo senex intrò ad nos venit, errans.
Mihi soli ridiculo fuit, quæ, quid timeret? sciebam.
Pa. Quid hoc autem est? Py. nunc id prodeo, vt conueniam Parmenonem.
Sed vbi obsecro est? Pa. men' quærit hæc? Py. atq; eccum video: adibo.
Pa. Quid est inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? Py. perij.
Defessa iam sum misera te videndo. Pa. quid ita? Py. rogitas?
Numquam ædepol hominem stultiorem vidi, nec videbo. ah,
Non possum satis narrare, quos ludos præbueris intus.
At etiam primô callidum, & disertum credidi hominem,
Quid? illicône credere ea, quæ dixi, oportuit te?
An pœnitebat flagitij, te authore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares?
Nam quid credis illi animi tum fuisse, vbi vestem vidit

Sciebam, dissyllabum est.

Illam

Illam esse eum indutum pater? quid? iam scis tu perijsse.

Pa. Hem, quid dixti pessuma? an mentita es? etiam rides?

Itane lepidum tibi visum est, scelus, nos irrideres? Py. nimium.

Pa. Siquidem istuc impune habueris Py. verum? Pa reddam hercle. Py. credo: (tace? Sed in diem istuc Parmeno est fortasse quod mini- Tu iam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas

Flagitijs, & eundem inducas: vterq; exempla in te edent.

Pa. Nullus sum. Py hic pro illo munere tibi honos est habitus: abeo.

Pa. Egomet meo iudicio, miser, quasi Sorex, hodie perij.

ACTVS V. SCENA VIII.

GNATHO, THRASO.

Trochaici catalectici.

QVid nunc? quaspe, aut quo consilio huc imus? quid cœptas Thraso?

Thr. Egone? vt Thaidi me dedam, & faciam quod iubeat. Gn. quid est?

Qui minus quàm Hercules seruiuit Omphalæ? Thr. exemplum placet.

Gn. Vtinam tibi commitigari videam sandalio caput. Sed fores crepuere ab ea, perij. Thr. quid autem hoc est mali?

Hunc ego nunquam videram: & iam quidnam hinc properans prosilit?

ACTVS V. SCENA IX.

CHÆREA, PARMENO, PHÆDRIAS GNATHO, THRASO.

O Populares, ecquis me viuit hodie fortunatior? Catastrophe, in qua Chærea sibi gratulatur nuptias: postea Gnatho impetrat à Phædria, ne Thraso prorsus excludatur.

Nemo hercle quisquam: nam in me planè Dij potestatem suam

Omnem ostendere, cui tam subitò tot congruerint commoda.

Pa. Quid hic lætus est? Ch. ô Parmenoni, ô mearum voluptatum omnium

Inuentor, inceptor, perfector, scin' me in quibus sim gaudijs?

Scis Pamphilam meam inuentam ciuem? Pa. audiui. Ch. scis sponsam mihi?

Pa. Bene, ita me Dij ament, factum. Gn. audin' tu, hic quid ait? Ch. tum autem Phædriæ

Meo fratri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: vna est domus:

Thais patri se commendauit in clientelam & fidem,

Nobis dedit se. Pa. fratris igitur Thais tota est. Ch. scilicet.

Pa. Iam hoc aliud est, quod gaudeamus: miles pel-
Aliàs, pellitur. † litur foras.
Ph. Tum tu, frater, vbi vbi est, fac quàm primum
hæc audiat. Pa. visam domum.
Thr. Nunquid Gnatho dubitas, quin ego nunc perpe-
tuô perierim?
Gn. Sine dubio opinor. Ch. quid commemorem pri-
mum, aut laudem maximè?
Illum, qui mihi dedit consilium vt facerem: an me,
quì id ausus sim
Incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix
fuit,
Quæ tot res, tantas, tam oportunè in vnum conclu-
sit diem? an
Mei patris festiuitatem & facilitatem? ô Iuppi-
ter,
Serua obsecro hæc nobis bona. Ph. Dij vostram fi-
dem, incredibilia
Parmeno modo quæ narrauit. sed vbi est frater?
Ch. præsto adest.
Pa. Gaudeo. Ch. satis credo. nihil est Thaide hac
frater tua dignius,
Quod ametur: ita nostræ est omni fautrix familiæ.
Ph. hui, mihi
Illam laudas? Thr. perij, quanto minus spei est, tan-
to magis amo.
Obsecro Gnatho, in te spes est. Gn. quid vis faciam?
Thr. perfice hoc

Precibus,

precibus, precio, vt hæream in parte aliqua tandem
apud Thaidem.
Gn. Difficile est. Thr. si quid collibuit, noui te, hoc
si effeceris,
Quoduis donum, præmium à me optato, id optatum
feres.
Gn. Itane. Thr. sic erit. Gn. si efficio hoc, postulo,
vt tua mihi domus
Te præsente, absente, pateat, inuocato vt sit locus
Semper. Thr. do fidem ita futurum. Gn. accingar.
Ph. quem ego hîc audio?
O Thraso. Thr. saluete. Ph. tu fortasse, quæ facta
hîc sient,
Nescis? Thr. scio. Ph. cur te ergo in his ego con-
spicor regionibus?
Thr. Vobis fretus. Ph. scis quàm fretus? miles
edico tibi,
Si in platea hac te offendere post vnquam, nihil
quod dicas mihi:
Aliùm quærebam, iter hac habui: peristi. Gn. eia
haud sic decet.
Ph. Dictum est. Gn. non cognosco vostrum tam su-
perbum. Ph. sic erit.
Gn. Prius audite paucis: quod cum dixero, si pla-
cuerit,
Facitote. Ph. audiamus. Gn. tu concede paululum
istuc Thraso.

Principio ego vos amboꝫ credere hoc mihi vehementer velim,
Me huius quicquid faciam, id facere maximè caussa mea.
Verùm idem si vobis prodest, vos non facere inscitia est.
Ph. Quid id est? Gn. militem ego riualem recipiendum censeo. Ph. hem
Recipiundum? Gn. cogita modo, tu hercle cum illa Phædria
Et libenter viuis: etenim bene libenter vicitas.
Paululum, dissyllabū est. Et quod des paululum, & necesse est multum accipere Thaidem,
Vt tuo amori suppeditare possit sine sumptu tuo.
Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex vsu tuo
Nemo est. principio & habet quod det, & dat nemo largius:
Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctesq; & dies:
Neq; istum metuas ne amet mulier: facilè pellas, vbi velis.
Ph. Quid agimus? Gn. præterea hoc etiam, quod ego vel primum puto,
Accipit hominem nemo melius prorsum, neq; prolixius.
Ph. Mirum ni, illoc homine quoquo pacto opus est. Ch. idem ego arbitror.
Gn. Rectè

Gn. Rectè facitis. vnum etiam vos oro, vt me in vostram gregem
Recipiatis: satis diu hoc iam saxum voluo. Ph. recipimus.
Ch. Ac lubenter. Gn. at ego pro isloc, Phædria & tu Chærea
Hunc comedendum, & deridendum vobis propino. Ch. placet.
Ph. Dignus est. Gn. Thraso, vbi vis, accede. Thr. obsecro te, quid agimus?
Gn. Quid? isti te ignorabant, postquam eis mores ostendi tuos,
Et collaudaui secundum facta & virtutes tuas,
Impetraui. Thr. Bene feci, gratiam habeo maximam.
Nunquam etiam fui vsquam, quin me omnes amarent plurimum.
Gn. Dixin' ego in hoc esse vobis Atticam eloquentiam?
Ph. Nihil præter promissum est, ite hac. Vos valete, & plaudite.

CALLIOPVS RECENSVI.

ARGVMENTVM IN HEAVTONTIMORVMENON.

TAnta huius Fabulæ eloquentia est, vt pleriq; à Lælio, quo illis temporibus Romæ nemo fuit eloquentior, scriptam existimarint: & Poeta ipse testatur, in hac puram esse orationem, quæ laus tanta est, vt in eloquentia vix vlla pars plus habeat gratiæ. Neq; prædicaturus hoc palam fuerat Comicus, nisi nouam, insignem, & pene diuinam sermonis elegantiam esse iudicasset.

Depingit autem parentum vicia. Nam Menedemus liberaliter amantem Cliniam iusto inclementius tractat adolescentum modestum & frugi. Quem postquam domo eiecit victum iurgijs & contumelijs, multo impotentius desiderat. Adeo multifariam hic peccat. Huic seni opponit Chremetem monitorem: sed quem postea videas plura, quàm Menedemum peccare. Primum, is nunquam deprehendit perditè amare filium, & compilari se à scorto sumptuoso: pòst vbi resciscit, irascitur ipse suo filio, eumq; grauiter obiurgat, etsi postremò placatur ab amico.

EPITHASIS.

Porrò, quia fingebat Poeta velut oculis captũ Chremetem, quia insignia filij vicia non

non cernat, adducit patri ob oculos filij amicam, idq; hîc periculi est, ne resciscat Chremes Bachidem filij amicam esse. Huc omnia consilia, omnes dolos seruuli referemus. Et à Chremete prius argentum emungitur Bachidi numerandum, quo comperit filij rem agi. Fallitur autem cum fingitur Bachis esse Cliniæ.

In prima Fabulæ parte, vbi Menedemum confirmat Chremes, oratio est deliberatiui, seu suasorij generis, qua hic consolatur, erigit, monet animi ægrum vicinum.

In reliqua Fabulæ parte, quæ periculum continet, res omnis translatione Rhetorica agitur, quia quæ ad Chremetis filium pertinent, omnia conferuntur in Menedemi gnatum.

Inprimis admirabilis est hic seruulus, cuius callidissimis consilijs neutiquam respondet euentus. Nec leuiter de suo consilio sibi placet, cùm ait: Hic me magnificè effero, &c. Est ea mirifica omnino imago humanorum & consiliorum & euentuum. Fallunt enim ferè astutissima consilia mortales: Sicut Ciceronem fefellit euentus belli, aduersus Antonium suscepti.

Extant exempla in historijs innumerabilia.

FABVLÆ INTER LOCVTORES.

CHREMES	*senex.*
CLITIPHO	*adolescens.*
SYRVS	*seruus*
MENEDEMVS	*senex.*
CLINIA	*adolescens*
DROMO	*seruus.*
SOSTRATA	*matrona.*
BACHIS	*meretrix.*
PHRYGIA	*ancilla.*
ANTIPHILA	*meretrix.*
NVTRIX.	

ACTA LVDIS MEGALENSIBVS, L. CORNELIO LENTVLO, L. VALERIO FLACCO, AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGIT AMBIVIVS TVRPIO, MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI. GRAECA MENANDRV. ACTA PRIMA TIBIIS IMPARIBVS, DEINDE DVABVS DEXTRIS. ACTA ETIAM TERTIA, T. SEMPRONIO, M. IVVENCIO COSS.

C. SVL-

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA.

Senarij.

IN militiam proficiſci gnatum Cliniam
Amantem Antiphilam compulit durus pa-
Animiq; ſeſe angebat, facti pœnitens, (ter:
Mox vt reuerſus eſt, clam patrẽ diuortitur
Ad Clitiphonẽ, is amabat ſcortũ Bachidem,
Cùm accerſeret cupitã Antiphilam Clinia,
Vt eius Bacchis venit amica, ac ſeruolæ
Habitũ gerens Antiphila, factum id, quò pa-
Suum cælaret Clitipho, hic technis Syri (trẽ
Decem minas meretriculæ aufert à ſene.
Antiphila Clitiphonis reperitur ſoror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho vxorẽ accipit.

PROLOGVS.

Senarij.

Propoſitio

NE cui ſit voſtrum mirum, cur parteis ſenī
Poëta dederit, quæ ſunt adoleſcentium:
Id primum dicam: deinde quod veni, eloquar.
Ex integra Græca integram Comœdiam
Hodie ſum acturus Heautontimorumenon.
Duplex quæ ex argumento facta eſt ſimplici,

Narratio, vnde ſumta ſit hæc tabula.

Nouam esse ostendi, & quæ esset: nunc qui scripsit,
Et cui Græca sit, in partem maximam
Existimarem scire vestrum, id dicerem.
Nunc quamobrem has parteis didicerim: paucis dabo.
Oratorem voluit esse me, non prologum:
Vestrum iudicium fecit: me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit à facundia,
Quantum illi potuit cogitare commodè,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Nam quod rumores distulerunt maleuoli,
Multas contaminasse Græcas, dum facit
Purgatio, quare Græcam verterit. Paucas Latinas: esse id factum, hic non negat,
Neq; se id pigere, & deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo sibi
Concessio ab exemplo. Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod maleuolus vetus Poëta dicitat,
Repentè ad studium hunc se applicasse Musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium vestrum, vestra existimatio
ἀντίκατηγορία. Valebit: quamobrem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquum possit quàm æquum oratio.
Petitio. Facite, æqui sitis, date crescendi copiam
Nouarum, qui spectandi faciunt copiam
Sine vicijs: ne ille pro se dictum existimet,

Qui

Qui nuper fecit seruo currenti, via
Decesse populum: cur insano seruiat:
De illius peccatis plura dicet, cùm dabit
Alias nouas, nisi finem maledictis facit.
Adeste æquo animo: date potestatem mihi,
Stataria agere vt liceat per silentium,
Ne semper seruos currens, iratus senex,
Edax parasitus, Sycophanta autem impudens,
Auarus Leno, assiduè agendi sint seni
Clamore summo, cum labore maximo.
Mea caussa caussam hanc iustam esse animum induce,
Vt aliqua pars laboris minuatur mihi:
Nam nunc nouas qui scribunt, nihil parcunt seni:
Si qua laboriosa est, ad me curritur:
Sin' lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura oratio experiemini,
In vtramq; partem ingenium quid possit meum,
Si nunquam auarè precium statui arti meæ,
Et eum esse quæstum in animum induxi maximum,
Quàm maximè seruire vestris commodis:
Exemplum statuite in me, vt adolescentuli
Vobis placere studeant potius, quàm sibi.

ACTVS



ACTVS

ACTVS PRIMI
SCENA PRIMA.

CHREMES, MENEDEMVS, senes. Senarij.

OVanquam hæc inter nos nuper noticia admodum est,
Inde adeo quòd agrum in proximo hîc mercatus es,
Nec rei fere sane amplius quicquam fuit:
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
(Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto)
Facit, vt te audacter moneam, & familiariter,
Quòd mihi videre præter ætatem tuam
Facere, & præter quàm res te hortatur tua.
Nam proh Deûm, atq; hominum fidem: quid vis tibi? aut
Quid quæris? annos sexaginta natus es,
Aut plus eo, vt conijcio, agrum in his regionibus
Meliorem, neq; preci maioris nemo habet:
Seruos complureis: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attentè illorum officia fungere.
Nunquam tam mane egredior, neq; tam vespere
Domum reuortor, quin te in fundo conspicer
Fodere: aut arare: aut aliquid ferre: deniq;
Nullum remittis tempus, neq; te respicis.
Hæc non voluptati esse, satis certò scio.

Prorsus Rhetoricè orditur & narrat Sumit autem exordium ab officio vicini.

Propositio obiurgationis.

Expositio continens rationem obiurgationis.

At

Occupatio plena humanitatis.

At enim (dices) me, quantum hîc operis fiat, pœnitet,
Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.
Me. Chreme, tantumne est ab re tua ocij tibi,
Aliena vt cures, eaq; nihil quæ ad te attinent?
Ch. Homo sum: humani à me nihil alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectum est, ego vt faciam, non vt deterream.
Me. Mihi sic est vsus: tibi vt opus est facto, face.
Ch. An cuiquam est vsus homini, se vt cruciet?
Me. mihi est.
Ch. Si quid laboris est, nollem: sed quid istuc mali est?
Quæso, quid de te tantum meruisti? Me. eheu.
Ch. Ne lachryma, atq; istuc, quicquid est, fac me vt sciam.
Ne retice: ne verere: crede inquam mihi:
Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero.
Me. Scire hoc vis? Ch. hac quidem causa, qua dixi tibi.
Me. Dicetur. Ch. at istos rastros interea tamen
Depone, ne labora. Me. minimè. Ch. quam rem agis?
Me. Sine, sine, vacuum tempus ne quod dem mihi
Laboris. Ch. non sinam inquam. Me. ah, non æquom facis.
Ch. Hui, tam graues hos quæso? Me. sic meritum 'st meum.
Ch. Nunc loquere. Me. filium vnicum adolescentulum
Habeo:

Habeo: at quid dixi habere me? immò habui Chreme,
Nunc habeam, nec ne incertum 'st. Ch. quid ita istuc?
Me. scies:
Est è Corintho hîc aduena anus paupercula,
Eius filiam ille amare cœpit perditè,
Prope iam vt pro vxore haberet: hæc clam me omnia.
Vbi rem resciui, cœpi non humanitus,
Neq; vt animum decuit ægrotum adolescentuli
Tractare, sed vi & via peruolgata patrum:
Cotidiè accusabam: hem, tibine hæc diutius
Licere speras facere, me viuo patre,
Amicam vt habeas propè iam vxoris in loco?
Erras si id credis, & me ignoras Clinia,
Ego te meum esse dici tantisper volo,
Dum, quod te dignum 'st, facias: sed si id non facis,
Ego quod me in te sit facere dignum, inuenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio ocio.
Ego istuc ætatis non amori operam dabam,
Sed in Asiam hinc abij propter pauperiem, atq; ibi
Simul rem & gloriam armis belli repperi.
Postremò, adeo res redijt: adolescentulus
Sæpe eadem, & grauiter audiendo victus est:
Putauit me & ætate, & beneuolentia
Plus scire & prouidere, quàm seipsum sibi:
In Asiam, ad regem militatum abijt Chreme.
Ch. Quid ais? Me. clam me profectus, mensis treis abest.

ἠθοποιΐα, quæ maximè decet narrationes.

Ch. Ambo

Ch. Ambo accusandi: etsi illud inceptum tamen
Animi est pudentis signum, & non instrenui.
Me. Vbi comperi ex ijs, qui ei fuere conscij,
Domum reuortor mœstus, atq; animo fere
Perturbato, atq; incerto præ ægritudine:
Assido: accurrunt seruì: soccos detrahunt:
Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisq; sedulò
Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.
Amplificat narrationē addens πάθη, hoc est, querelam senis de eiecto filio.
Vbi video hæc, cœpi cogitare: hem, tot mea
Solius solliciti sunt caussa, vt me vnum expleant?
Ancillæ tot me vestiant? sumptus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum vnicum,
Quem pariter vti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc vtenda idonea est,
Eum ego eieci hinc miserum iniustitia mea.
Malo quidem me dignum quouis deputem,
Si id faciam: nam vsq; dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas iniurias,
Interea vsq; illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi seruiens.
Ita facio prorsus: nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum: corrasi omnia:
Ancillas, seruos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile sumptum exercerent suum,
Omneis produxi ac vendidi: inscripsi illicò
Aedeis mercede: quasi talenta ad quindecim

Coëgi:

Coëgi: agrum hunc mercatus sum: hîc me exerceo:
Decreui, tantisper me minus iniuriæ
Chremeo gnato facere, dum fiam miser,
Nec fas esse vlla me hîc voluptate fruì:
Nisi vbi ille huc saluos redierit meus particeps.
Ch. Ingenio te esse in liberos leni puto, &
Illum obsequentem, si quis recte aut commodè
Tractaret, verùm neq; tu illum satis noueras,
Nec te ille. hoc tibi fit, vbi non verè viuitur.
Tu illum nunquam ostendisti, quanti penderes,
Nec ille tibi est credere ausus, quæ est æquom patrì,
Quod si esset factum, hæc nunquam euenissent tibi.
Me. Ita res est, fateor: peccatum à me maximum est.
Ch. Menedeme, at porro recte spero illum tibi
Saluom affuturum esse hîc, confido propediem.
Me. Vtinam Dij ita faxint. Ch. facient, nunc, si commodum? st,
Dionysia hîc sunt, hodie apud me sis volo.
Me. Non possum. Ch. cur non? quæso tandem aliquantulum
Tibi parce: idem absens facere te hoc vult filius.
Me. Non conuenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipsum fugere. Ch. siccine est sententia? st
Me. Sic. Ch. bene vale. Me. & tu. Ch. lachrumas excussit mihi,
Miseretq; me eius: sed vt diei tempus est,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,

Ad cœnam vt veniat: ibo, visam si domi est.
Nihil opus fuit monitore: iamdudum domi,
Aiunt, præsto apud me esse: egomet conuiuas moror.
Ibo adeo hinc intrò: sed quid crepuerunt fores?
Hinc à me quinam egreditur? huc concessero.

ACTVS I. SCENA II.

Occasio sequentium turbarum & periculorum proponitur, videlicet adolescentis reditus.

CLITIPHO, CHREMES.

NIhil adhuc est, quod vereare Clinia: haud quaquam etiam cessant:
Et illam simul cum nuncio tibi hîc ego affuturam
Hodie scio: proin tu sollicitudinem istam falsam
Quæ te excruciat, omittas. Ch. qui cum loquitur filius?

Trochaic. Clit. Pater adest, quem volui: adibo. Pater opportunè aduenis.

Dime. cat. Ch. Quid id est? Clit. hunc Menedemum nostin' nostrum vicinum? Ch. probè.

Trochaic. tetrameter catalect. Octona. hypercat. Clit. Huic filium sis esse: Ch. audiui esse in Asia. Clit non est pater.
Apud nos est. Ch. quid ais? Clit. aduenientem, è naui egredientem, illicò
Abduxi ad cœnam, nam mihi magna cum eo iam inde vsq; à pueris
Semper fuit familiaritas. Ch. voluptatem magnam nuncias.

Quàm vellem Menedemum imitatum, vt nobiscum esset hodie amplius,
Vt hanc lætitiam nec opinanti primus ei obijcerem domi,
Atq; etiam nunc tempus est. Clit. caue faxis, non est opus pater. Iam. qua. acatalect.
Ch. Quapropter? Clit. quia enim incertum' est etiam quid se faciat, modo venit:
Timet omnia, patris iram, & animum amicæ se erga vt sit suæ.
Eam miserè amat, propter eam hæc turba, atq; abitio euenit. Ch. scio.
Clit. Nunc seruolum ad eam in vrbem misit, & ego nostrum vnà Syrum.
Ch. Quid narras? Clit. quid ille? se miserum esse. Ch. miserum? quem minus credere' st?
Quid reliqui est, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona?
Parentes, patrem incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias:
Atq; hæc perinde sunt, vt illius animus, qui ea possidet:
Qui vti scit, ei bona: illi, qui non vtitur recte, mala.
Ch. Immò ille senex fuit importunus semper, & nunc nihil magis
Vereor, quàm ne quid in illum iratus plus satis faxit pater.

Senex præfatur de filiorum officio erga parentes.

Ch. Illéne? sed reprimam me: nam in metu esse hunc illi est vtile.
Clin. Quid tute tecum? Ch. dicam. vtut erat, mansum tamen oportuit.
Fortasse aliquando iniquior erat præter eius libidinem:
Pateretur: NAM QVEM FERRET, si parentem non ferret suam?
Huccine erat æquom ex illius more, an illum ex huius viuere? &
Quod illum insimulat durum, id non est, nam parentum iniuriæ
Vniusmodi sunt fermè, paulò qui est homo tolerabilis,
Scortari crebrò nolunt, nolunt crebrò conuiuarier,
Præbent exiguè sumptum, & ea sunt tamen ad virtutem omnia.
Verùm, vbi animus semel se cupiditate deuinxit mala,
Necesse est Clitipho consilia consequi consimilia, hoc,
Scitum? st, PERICVLVM EX ALIIS facere, tibi quod ex vsu siet.
Cli. Ita credo. Ch. ego ibo hinc intrò, vt videam nobis cœnæ quid siet.
Tu, vt tempus est diei, videsis ne quò hinc abeam longius.

Octonarij iambici.

CLITIPHO.

Velut epiphonema addit adolescens quæ ideam præceptis patris.

QVàm iniqui sunt patres in omneis adolescenteis iudices:
Qui æquom esse censet, nos iam à pueris illicò nasci senes,
Neq; illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit,
Mihi si vnquam filius erit, næ ille facili me vtetur patre:
Nam & cognoscendi & ignoscendi dabitur peccati locus:
Non vt meus, qui mihi per aliam ostendit suam sententiam.
Perij: is mihi, vbi adbibit plus paulò, sua quæ nauarat facinora?
Nunc ait, periculum ex alijs facito, tibi quod ex vsu siet.
Astutus: næ ille haud scit, quàm mihi nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta stimulant: da mihi, atq; affer mihi.
Cui quid respondeam, nihil habeo: neq; me quisquam est miserior?
Nam hic Clinia, etsi is quoq; suarum rerum satagit, attamen.

Habet bene & pudicè eductam, ignaram artis meretriciæ.
Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis,
Tum, quod dem ei, recte est: nam nihil esse mihi, relligio est dicere.
Hoc ego mali non pridem inueni: neq; etiam dum scit pater.

ACTVS II. SCENA II.

CLINIA, CLITIPHO.

SI mihi secundæ res de amore meo essent, iamdudum scio Octona: Iamb. le.
Deſcribitur Clinia (vt sunt amantes) ſollicitus & moræ impatiens.
Veniſſent: sed vereor, ne mulier me absente hic corrupta sit,
Concurrunt, multæ opiniones, quæ mî animum exaugeant:
Occasio, locus, ætas, mater, cuius sub imperio est, mala:
Cui nihil iam præter precium dulce est. Clit. Clinia, Clin. hei mi ero mihi.
Alias, hic. Clit. Etiam caues, ne videat forte † hinc te, à patre aliquis exiens?
Clin. Faciam: sed nescio quid profectò mihi animus præsagit mali.
Clit. Pergin' istuc prius dijudicare, quàm scis quid veri siet?
Clin. Si nihil mali esset, iam hic adesset. Clit. iam aderunt. Clin. quando istuc erit?

Clit. Non

Clit. Non cogitas hinc longius abesse? & nosti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.
Clin. ô Clitipho,
Timeo. Clit. respira: eccum Dromonem cum Syro, vnà assunt tibi.

ACTVS II. SCENA III.

SYRVS, DROMO, CLINIA. CLITIPHO.

AIn' tu? Dr. sic est. Sy. verùm interea dum sermones cædimus, Senarij & Octonarij; iambici, permixtis, trochaicis catalect.
Illæ sunt relictæ. Clit. mulier tibi adest, audin Clinia?
Clin. Ego verò audio, nunc demum, & video, & valeo Clitipho.
Sy. Minimè mirum: adeò impeditæ sunt, ancillarum gregem
Ducunt secum. Clin. perij, vnde illi sunt ancillæ? Clit. men' rogas?
Sy. Non oportuit relictas: portant quid rerum. Clin. hei mihi.
Sy. Aurum, vestem: & vesperascit, & non nouerunt viam.
Factum à nobis stultè est. abi dum tu Dromo illis obuiam,
Propera: quid stas? Clin. væ misero mihi, quanta de spe decidi.

Clit. Quid istuc? quæ res te sollicitat autem?
Clin. rogitas quid siet?
Viden' tu ancillas, aurum, vestem? quam ego cum
vna ancillula
Hic reliqui, vnde esse censes? Clit. vah, nunc de-
mum intelligo.
Sy. Dij boni, quid turbæ est? ædes nostræ vix ca-
pient scio.
Quid comedent? quid ebibent? quid sene erit nostro
miserius?
Error Clinix præbet occasionem sequenti narrationi. Sed video eccos, quos volebam. Clin. ô Iuppiter,
obuiam est fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens,
tu interea loci
Collocupletasti te Antiphila, & me in his deseruisti
malis,
Propter quam in summa infamia sum, & meo patri
minus obsequens:
Cuius nunc pudet me, & miseret, qui harum mores
cantabat mihi,
Monuisse frustra, neq; potuisse eum vnquam ab hac
me expellere:
Quod tamen nunc faciam: tum, cum gratum mihi
esse potuit, nolui.
Nemo nunc est miserior me. Sy. hic de nostris verbis
errat videlicet.
Clinia alter tuum amorem, atq; est, accipis:

Nam

Nam & vita est eadem, & animus te erga idem,
ac fuit,
Quantum ex ipsa re coniecturam cepimus.
Clit. Quid est obsecro? nam mihi nunc nihil rerum
omnium est
Quod malim, quàm me hoc falsò suspicarier.
Narratio ornatissima, de moribus Antiphilæ, à signis exordiens. Sy. Hoc primum, vt ne quid huius rerum ignores,
anus,
Quid est dicta mater esse ei ante hac, non fuit:
Ea obijt mortem: hoc ipsa in itinere alteræ
Dum narrat, forte audiui. Clit. quænam est altera?
Sy. Mane: hoc, quod cœpi, primum enarrem Cli-
tipho:
Post istuc veniam. Clit. propera. Sy. iamprimum
omnium
Vbi ventum ad ædes est, Dromo pultat fores:
Anus quædam prodit: hæc vbi aperuit ostium,
Continèo hic se coniecit intrò, ego consequor:
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit,
Hinc sciri potuit, haud nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam te absente exegerit.
Ἐνθύμημα. Ratio est argumentis Quotidiana consuetudo indicat ingenium. Vbi de improuiso est interuentum mulieri,
(Nam ea res dedit tum existimandi copiam
Cotidianæ vitæ consuetudinem,
Quæ, cuiusq; ingenium vt sit, declarat maximè)
Texentem telam studiosè ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam, veste lugubri,
Eius anus caussa opinor, quæ erat mortua,

Sine auro tum ornatam, ita vti quæ ornantur sibi,
Nullam malam re expolitam muliebri:
Capillus passus, prolixus, circum caput
Reiectus negligenter, pax. Clit. Syre mi obsecro
Ne me in leticiam frustra conijcias. Sy. anus.
Subtegmen nobat, præterea vna ancillula
Erat, ea texebat vnà, pannis obsita,
Neglecta, immunda illuuie. Clit. si hæc sunt Clinia
Vera, ita vti credo, quis te est fortunatior?
Scin' tu hanc, quam dicit sordidatam & sordidam?
Magnum hoc quoq; signum' & dominam esse extra noxiam,

Aptissimũ amantis à doleſcẽtis, Quærit quã præ buerit significationem audiro nomine amatoris.

Cùm eius tam negliguntur internuncij:
Nam disciplina est eiusdem, munerarier
Ancillas primùm, ad dominas qui affectant viam.
Clit. Perge obsecro te, & caue ne falsam gratiam
Studeas inire. quid ait vbi me nominas?
Sy. Vbi dicimus rediisse te, & rogare vti
Veniret ad te, mulier telam deserit
Continuò, & lachrumis opplet os totum sibi,
Vt facilè scires desiderio id fieri tuo.
Clin. Præ gaudio (ita me Dij ament) vbi sim nescio,
Ita timui. Clit. at ego nihil esse sciebam Clinia.
Agedum vicissim Syre, dic quæ est altera?
Sy. Adducimus tuam Bachidem. Clit. hem, quid Bachidem?
Eho, sceleste quò illam adducis? Sy. quò ego illam? ad nos scilicet.

Procele. & tres anap. Octon. iãbic. acat. permixtis troch catalect.

Clit. Ad patrémne? Sy. ad eum ipsum. Clit. ô hominis impudentem audaciam.
Sy. Heus tu, NON FIT SINE PERICLO facinus magnum & memorabile.
Clit. Hoc vide: in mea vita tu tibi laudem is quæsitum scelus:
Vbi si paululum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illò facias? Sy. at enim. Clit. quid enim?
Sy. si sinas, dicam. Clin. sine.
Clit. Sino. Sy. ita res est, hæc nunc, quasi, cùm.
Clit. quas (malum) ambages mihi
Narrare occipit? Clin. Syre, verum hic dicit: mitte, ad rem redi.
Sy. Enimuero reticere nequeo: multi' modis iniurius
Clitpho est: neq; ferri potis est. Clin. audiendum hercle est, tace.
Sy. Vis amare: vis potiri: vis, quod des illi, effici:
Tuum esse in potiundo periclum non vis: haud stultè sapis.
Siquidem id sapere est, velle te id, quod non potest contingere.
Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt.
Harum duarum conditionum nunc vtram malis, vide:
Etsi consilium quod cœpi, rectum esse & tutum scio.

Protasis periculi est quod adducitur Bachis in ædes Chremetis. Estq; mirifica humanorũ consiliorũ imago, quod seruũ fallunt consilia, quæ putabat esse tutissima.

Nam apud patrem tua amica tecum sine metu vt sit,
copia est:
Tum, quod illi argentum es pollicitus, eadem hac
inueniam via:
Quod ut efficerem, orando surdas iam aureis red-
dideras mihi.
Quid aliud tibi vis? Clit. siquidem hoc fit. Sy. siqui-
dem experiundo scies.
Clit. Age age, cedo istuc tuum consilium, quid id
est? Sy. assimulabimus,
Tuam amicam, huius esse amicam. Clit. pulchrè:
cedo quid hîc faciet sua?
An ea quoq; dicetur huius, si vna hæc dedecori est
parum?
Sy. Immò ad tuam matrem deducetur. Clit. quid
eò? Sy. longum est Clitipho,
Si tibi narrem: quamobrem id faciam, vera causa
est. Clit. fabulæ:
Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc
mihi expediat metum.
Sy. Mane, habeo aliud, si istuc metuis, quod ambo
confiteamini,
Sine periclo esse. Clit. huiusmodi obsecro, aliquid
repperi. Sy. maxumè,
Ibo obuiam hinc: dicam, vt reuortantur domum.
Clit. hem,
Quid dixti? Sy. si ademptum tibi iam faxo omnem
metum,

In aurem vtramuis ociosè vt dormias.
Clit. Quid ago nunc? Clinia? quod boni est.
Clit. Syre, dic modo
Verum. Sy. age, modo hodie, sero ac nequicquam
voles.
Clin. Datur meodo: fruere dum licet: nam nescias,
Eius sit potestas posthac, an nunquam tibi.
Clit. Syre inquam. Sy. perge porrò, tamen istuc
ago.
Clit. Verum hercle istuc est: Syre, Syre inquam,
heus heus Syre.
Sy. Conclauit: quid vis? Clit. redi, redi. Sy. assum,
dic quid est?
Iam hoc quoq; negabis tibi placere. Clit. immò Syre.
Et me, & meum amorem, & famam permitto tibi.
Tu es iudex: ne quid accusandus ſſs, vide.
Sy. Ridiculum est te istuc me admonere Clitipho:
Quasi istîc minor mea res agatur, quàm tua.
Hîc si quid nobis forte aduorsi euenerit,
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.
Quapropter neutiquam hæc res neglectui est mihi:
Sed istunc exora, vt suam esse assimulet. Clin. sci-
licet
Facturum me esse, in eum iam res redijt locum,
Vt sit necesse. Clit. meritò te amo Clinia.
Clin. Verùm illa ne quid titubet. Sy. perdocta est
probè.
Clin. Ab hoc demiror, qui tam facilè potueris

Persuadere illi quæ solet quos spernere?
Sy. In tempore ad eam veni. QVODRERVM omnium est
Primum, nam miserum quendam offendi ibi militem,
Eius noctem orantem, hæc arte tractabat virum,
Vt illius animus cupidum inopia incenderet,
Eademq; vt esset apud te quàm gratissima.
Sed heus tu, videsis ne quid imprudens ruas.
Patrem nouisti, ad has res quàm sit perspicax.
Ego te autem nouì, quàm esse soleas impotens,
Inuersa verba, euersas ceruices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus abstine.
Clit. Laudabis. Sy. videsis. Clit. tutemet mirabere.
Sy. Sed quàm citò sunt consecutæ mulieres?
Clit. Vbi sunt? cur retines? Sy. iam nunc hæc non est tua.
Clit. Scio apud patrem, at nunc interim. Sy. nihilo magis.
Clit. Sine. Sy. non sinam, inquam. Clit. quæso paulisper. Sy. veto.
Clit. Saltem salutare? Sy. abeas, si sapis. Clit. eo,
Quid istic? Sy. manebit. Clit. ô hominem felicem, Sy ambula.

ACTVS II. SCENA IIII.

Trochaici octo: catalectici, permixtis iambicis quadratis acatalect. Porrò senarij quinq;.

BACHIS,

BACHIS, ANTIPHILA, CLINIAS, SYRVS.

AEdepol te mea Antiphila laudo, & fortunatam iudico,
Id cùm studuisti, isti formæ vt mores consimiles forent:
Minimeq; (ita me Dij ament) miror, si te sibi quisq; expetit.
Eam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et cùm egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero,
Omniumq; adeo vostrarum, volgus quæ ab se segregant,
Et vos esse istiusmodi, & nos non esse, haud mirabile est:
Nam expedit bonas esse vobis: nos, quibus cum res est, non sinunt:
Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt:
Hæc vbi immutata est, illi suum animum aliò conferunt.
Nisi prospectum interea aliquid nobis est, desertæ viuimus.
Vobis cum vno simul vbi ætatem agere decretum? est viro,
Cuius mos maximè est consimilis vostrum, si se ad vos applicant,

Vt sit varietas, addit etiam colloquiũ mulierum, in quo modestiam laudat etiam meretrix.

Hoc

Hoc beneficio vtriq; ab vtriſq; vero deuincimini.
Vt nunquam vlla amori voſtro incidere poſſit ca-
lamitas.
An. Neſcio alias: me ſcio quidem ſemper feciſſe ſe-
dulò, vt
Venuſtum il. Ex illius commodo meum comparem commodum.
Clin. vah,
Ergo mea Antiphila tu nunc ſola reducem me in
patriam facis.
Nam, dum abs te abſum, omnes mihi labores fuere,
quos cœpi, leues,
Præter quàm tuâ carendum quod erat. Sy. credo.
Clin. Syre, vix ſuffero.
Hoccine me miſerum non licere meo modo ingenio
frui?
Sy. Immò, vt patrem tuum vidi eſſe habitum diu,
etiam duras dabit.
Ba. Quiſnam hic adoleſcens eſt, quì intuetur nos?
An. ah, retine me obſecro.
Ba. Amabo, quid tibi eſt? An. diſperij. Ba. peri
miſera, quid ſtupes
Antiphila? An. videon? Cliniam, an non? An. quem
vides?
Clin. Salue anime mi. An. ô mi Clinia, ſalue.
Clin. vt vales?
Senarij. An. Saluom veniſſe gaudeo. Clin teneône te.
Antiphila maximè animo exoptata meo?
An. Ite intrò: nam vos iamdudum expectat ſenex.

ACTVS

CHREMES, MENEDEMVS.

LVceſcit: hoc iam ceſſo pultare oſtium
vicini: primùm ex me vt ſciat, ſibi filium
Rediſſe, etſi adoleſcentem hoc nolle intelligo.
Verum, cum videam miſerum hunc tam excruciarier
Eius abitu, cælem tam inſperatum gaudium,
Cùm illi pericli nihil ex indicio ſiet?
Haud faciam: nam, quod potero adiutabo ſenem,
Ita vt filium meum amico, atq; æquali ſuo
Video inſeruire, & ſocium eſſe in negocijs.
Nos quoq; ſenes eſt æquom ſenibus obſequi.
Me. Aut ego profectò ingenio egregiè ad miſeriam ἀφ
Natus ſum, aut illud falſum eſt, quod volgò audio ſenile.
Dici, DIEM adimere ægritudinem hominibus:
Nam mihi quidem cotidiè augeſcit magis
De filio ægritudo, & quanto diutius
Abeſt, magis cupio tanto, & magis deſidero.
Ch. Sed ipſum foras egreſſum video: adibo alloquar.
Menedeme ſalue: nuncium apporto tibi,
Cuius maximè te fieri participem cupis.
Me. Nunquid nam de gnato meo audiſti Chreme?
Ch. Valet, atq; viuit. Me. Vbinam eſt quæſo?
Ch. apud me domi.
Me. Meus gnatus? Ch. ſic eſt. Me. venit?
Ch. certè. Me. Clinia
Meus venit? Ch. dixi. Me. eamus, duc me ad eum
obſecro.

Ch. Non volt te scire se rediisse: etiam tuum
Conspectum fugitat propter peccatum: tum hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua etiam adaucta fiet.
Me. Non tu ei dixisti, vt essem? Ch. non.
Me. quamobrem Chreme?
Ch. Quia pessumè istuc in te, atq; in illum consulis,
Si te tam leni, & victo esse animo ostenderis.
Me. Non possum: satis iam, satis pater durus fui.
Ch. ah,

Suasorij generis oratio: ne pater sua indulgentia magis corrumpat filium.

Vehemens in vtramq; partem Menedeme es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem ex hac re, atq; ex illa, incides.
Primum olim potius, quàm paterere filium
Commeare ad mulierculam, quæ paululo
Tum erat contenta, cuiq; erant grata omnia,
Proterruisti hinc. ea coacta in gratijs
Pòst illa cœpit victum volgo quærere.
Nunc, cum sine magno detrimento non potest
Haberi, quiduis dare cupis. vt tu scias,
Quàm ea nunc instructa pulchrè ad perniciem sit.
Primum, iam ancillas secum adduxit plus decem,
Ornatus veste atq; auro: satrapes si siet
Amator, nunquam sufferre eius sumptus queat,
Nedum tu possis. Me. estne ea intus? Ch. sit rogas?
Sensi: nam vnam ei cœnam, atq; eius comitibus
Dedi: quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam, vt alia omittam, pitissando modo mihi

Quid

Quid vini absumpsit? si hoc dicens, asperum
Pater hoc est, aliud lenius, sodes vide:
Releuà dolia omnia, omnes serias:
Omnes sollicitos habui: atq; hæc vna nox:
Quid te futurum censes, quem assiduè exedent?
Ita me Dij amabunt, vt tuarum miseritum 'st
Menedeme fortunarum. Me. faciat, quod libet:
Sumat, consumat, perdat, decretum 'st pati,
Dum illum modo habeam mecum. Ch. si certum est
Sic facere, id permagni referre arbitror, (tibi
Vt nescientem sentiat te id sibi dare.
Me. Quid faciam? Ch. quiduis potius, quàm quod cogitas:
Per alium quemuis vt des, falli te sinas
Technis per seruolum: etsi subsensi id quoq;,
Illos ibi esse, & id agere inter se clanculum
Syrus cum illo vostro consusurrat: conferunt
Consilia adolescentes: & tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quàm illo minam.
Non nunc pecunia agitur, sed illud, quo modo
Minimo periclo id demus adolescentulo.
Nam si semel tuum animum is intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, & prius
Pecuniam omnem, quàm abs te amittas filium: hui,
Quantum feneśram ad nequitiam patefeceris?
Tibi autem porro vt non sit suaue viuere.
Nam DETERIORES OMNES sumus licentia.
Quodcunq; incidere in mentem volet: neq; id

Putabit prauom, an rectum, quod petet, fiet.
Tu, rem reperire, & ipsum, non poteris pati
Dare denegaris: ibit ad illud illicò,
Quò maximè apud te se valere sentiet,
Abiturum se abs te esse illicò minitabitur.
Me. Videre verum, atq; ita vti res est, dicere.
Ch. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quæro, tibi, qui filium restituerem.
Me. Cedo dextram: porro te idem oro vt facias Chreme.
Ch. Paratus sum. Me. scin', quid facere volo?
Ch. Dic. Me. quod sensisti illos me incipere fallere,
Id vt maturent facere, cupio illi dare,
Quod volt, cupio ipsum iam videre. Ch. operam da-
Syrus est prehendendus atq; hortandus mihi. (bo:
A me nescio quis exit? concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere sentiant.
Paulum negoci mihi obstat: Simus & Crito
Vicini nostri hic ambigunt de finibus:
Me cœpere arbitrum: ibo, ac dicam, vt dixeram,
Operam daturum me, hodie non posse ijs dare.
Continuò hîc adero. Me. ita quæso. Dij vostram fidem.

Epiphonema. ITAN' COMPARATAM esse hominum naturam omnium,
Aliena melius vt videant, & iudicent,
Quàm sua? an eò fit, quia in re nostra aut gaudio Simus

Simus præditi nimio, aut ægritudine?
Hic mihi nunc quanto plus sapit, quã egomet mihi?
Ch. Dissolui me, ocioſus operam vt tibi darem.

ACTVS III. SCENA II.

SYRVS, CHREMES.

Deliberationes serui de pecunia per fallaciam inuenienda.

HAc illa circuncursa: inueniendum est tamen
Argentum, intendenda in senem fallacia.
Ch. Num me fefellit, hosce id struere? videlicet,
Est ille Cliniæ seruus tardiusculus,
Idcirco huic nostro tradita est prouincia.
Sy. Quî hic loquitur? perij, numnam hæc audiuit? Ch. Syre. Sy. hem.
Ch. Quid tu istîc? Sy. recte: equidem te demiror Chreme
Tam mane, qui heri tantum biberis. Ch. nihil nimis.
Sy. Nihil narras? visa vero est, quod dici solet,
Aquilæ senectus. Ch. eia. Sy. mulier est commoda &
Faceta hæc meretrix. Ch. sane idem visa est mihi.
Sy. Et quidem hercle forma luculenta. Ch. sic satis.
Sy. Ita non vt olim, sed vti nunc sane bona:
Minimeq; miror, Clinia hanc si deperit:
Sed habet patrem quendam auidum miserum, atq; aridum.
Vicinum hunc nostin'? at quasi is non diuitijs
Abundet, gnatus eius profugit inopia.

Scin' esse factum vt dico? Ch. quid ego nesciam?
Hominem pristino dignum. Sy. quem? Ch. istum seruolum
Dico adolescentis. Sy. Syre, tibi timui malè.
Ch. Quî passus est id fieri? Sy. quid faceret? Ch. rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Vnde esset adolescenti, amicæ quod daret,
Atq; hunc difficilem, inuitum seruaret senem.
Sy. Garris. Ch. hæc facta ab illo oportebant, Syre.
Sy. Eho quæso, laudas qui heros fallunt? Ch. in loco
Ego vero laudo. Sy. recte sane. Ch. quippe quia
Magnarum sæpe remedium ægritudinum est:
Iam huic mansisset vnicus gnatus domi.
Sy. Iocon? an serio illæc dicat, nescio,
Nisi mihi quidem addit animum, quò lubeat magis.
Ch. At nunc quid expectat Syre? an, dum hinc demuo
Abeat, cùm tolerare huius sumptus non queat?
Nonne ad senem aliquam fabricam fingit? Sy. stolidus est.
Ch. At te adiutare oportet adolescentuli
Caussa. Sy. facile equidem facere possem, si iubes:
Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo.
Ch. Tanto hercle melior. Sy. non est mentiri meum.
Ch. Fac ergo. Sy. At heus tu, facito dum eadem
hæc memineris,
Si quid huius simile forte aliquando euenerit,
(Vt

(vt sunt humana) tuus vt faciat filius.
Ch. Non vsus veniet, spero. S. spero hercle ego quoq;
Neq; eò nunc dico, quo quicquam illum senserim:
Sed si quid, ne quid: quæ sit eius ætas, vides:
Et næ ego te, si vsus veniat, magnificè Chreme
Tractare possim. Ch. de istoc, cùm vsus venerit,
Videbimus, quid opus fiet: nunc istuc age.
S. Nunquam commodius vnquam herũ audiui loquũ:
Nec, cùm malefacerem, crederem mihi impunius
Licere. quisnam à nobis egreditur foras?

ACTVS III. SCENA III.

Iambici quadrati & acatalectici, & catalectici. Senarius itẽ vnus, & fragmẽtũ Iambici quadrati. Senarius vnus, fragmentũ vnũ.

CHREMES, CLITIPHO, SYRVS.

QVid istuc? quæso, quî istic mos est Clitipho? itane fieri
Oportet? Clit. quid ego feci? Ch. vidin' ego te modo manum in sinum huic
Meretrici inserere? Sy. acta hæc res est, perij.
Clit. mene? Ch. hisce oculis, ne nega.
Facis adeo indignè iniuriam illi, quî non abstineas manum:
Nam istæc quidem contumelia est,
Hominem amicum recipere ad te, atq; eius amicam subagitare.

Vel heri in vino quàm immodestus fuisti? Sy. factum. Ch. quàm molestus?

Vt equidem (ita me Dij ament) metui quid futurum deniq; esset.

Noui ego amantium animum: aduortunt grauiter, quæ non censeas.

Clit. At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum pater.

Ch. Esto: at certè concedas aliquo ab eorum ore aliquantisper.

Multa fert lubido: ea prohibet facere tua præsentia. ego de me

Quadrat. Iambicus acatalect. Facio coniecturam. nemo est meorum amicorum, hodie apud

Quem expromere omnia mea occulta Clitipho audeam.

Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipsius facti piget.

Ne ineptus, ne proteruos videar, quod illum facere credito.

Sed nostrum est intelligere, vtcunq; atq; vbicunq; opus sit, obsequi.

Sy. Quid istic narrat? Clit. perij. Sy. Clitipho hæc ego præcipio tibi,

Hominis frugi & temperantis functus officium. Clit. tace sodes.

Sy. Recte sane. Clit. Syre, pudet me. Sy. credo: neq; id iniuria.

Quin

Quin mihi molestum 'st. Clit. pergin? Sy. verum hercle dico, quod videtur.

Clit. Nonne accedam ad illos? Ch. eho quæso, vnà accedundi via est?

Sy. Actum 'st: hic prius se indicarit, quàm ego argentum effero. Chreme,

Vin' tu homini stulto mihi auscultare? Ch. quid faciam? Sy. iube hunc

Abire hinc aliquò. Clit. quò ego hinc abeam? Sy. quò lubet, da illis locum:

Abi deambulatum. Clit. deambulatum, quò? Sy. vah, quasi desit locus:

Abi sane istac, istorsum, quò vis. Ch. recte dicit: censeo.

Clit. Dij te eradicent Syre, qui me istinc extrudis. Sy. at tu pol tibi istas

Posthac comprimito manus. Trochaic. catalect. Dimeter. Trochaic. tetr amet.

Censen' vero? quid illum porro credis facturum Chreme,

Nisi eum, quantum Dij dant tibi opis, seruas, castigas, mones?

Ch. Ego istuc curabo. Sy. atqui nunc here hic tibi asseruandus est.

Ch. Fiet. Sy. si sapias: nam mihi iam minus minusq; obtemperat.

Ch. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti Syre? aut

Repperisti tibi quod placeat, an nondum etiam. Sy. de fallacia
Dicis? St. inueni nuper quandam. Ch. frugi es: cedo, quid id est?
Sy. Dicam: verum, vt aliud ex alio incidit. Ch. quidnam Syre? Sy. pessuma hæc
Est meretrix. Ch. ita videtur. Sy. immò, si scias,
Hoc vide, quod inceptet facinus. Fuit quædam anus Corinthia
Hîc: huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum.
Ch. Quid tum? Sy. ea mortua est, reliquit filiam adolescentulam.
Ea relicta huic arraboni est, pro illo argento. Ch. intelligo.
Sy. Hanc secum huc adduxit, eaq; nunc est ad vxorem tuam.
Ch. Quid tum? Sy. Clinia orat, sibi vti nunc det illam: illi tamen
Post daturum mille nummûm poscit. Ch. & poscit quidem? Sy. hui
Dubiumne id est? Ch. ego sic putaui, quid nunc facere cogitas?
Sy. Egone? ad Menedemum ibo, dicam hanc esse captam ex Caria,
Ditem & nobilem, si redimat, magnum inesse in ea lucrum.

Sena. Iam. Octo. Iam. Trochaic. quadrati catalect.

Ch. Erras.

Ch. Erras. Sy. quid ita? Ch. pro Menedemo nunc tibi ego respondeo:
Non emo: quid ais? Sy. optata loquere. Ch. atqui non opus est.
Sy. Non opus est? Ch. non hercle vero. Sy. quid istuc, miror. Ch. iam scies:
Mane mane, quid est, quod tam à nobis grauiter crepuerunt fores?

ACTVS IIII. SCENA I.

Iambici quadrati acatalectici Trochaici catalectici, vnus acatalecticus, vnus hypercatalecticus.

SOSTRATA, CHREMES, NVTRIX, SYRVS.

Occasio Catastrophes periculorum Cliniæ.

Nisi me animus fallit, hic profectò est annulus, quem ego suspicor,
Is, qui cum exposita est gnata. Ch. quid volt sibi Syre hæc oratio?
So. Quid est? is ne tibi videtur? Nu. dixi quidem, vbi mihi ostendisti, illicò,
Eum esse. So. at vt satis modo contemplata sies mea nutrix. Nu. satis.
So. Abi iam nunc intrò: atq; illa si iam lauerit, mihi nuncia.
Hîc ego virum interea opperibor. Sy. te volt: videas, quid velit:
Nescio quid tristis est: non temerè? st, metuo, quid sit. Ch. quid fiet?

Næ ista

Næ ista hercle magno iam conatu magnas nugas dixerit.

So. Ehem mi vir. Ch. ehem mea vxor. So. teipsum quæro. Ch. loquere quid velis.

So. Primum hoc te oro, ne quid credas me aduorsus edictum tuum

Facere esse ausam. Ch. vin' me istuc tibi, etsi incredibile est, credere?

Trochaic. quad. cat. Credo. Sy. nescio, quid peccati portet hæc purgatio.

So. Meministin' me esse grauidam, & mihi te maxumo opere interminatum,

Trochaic. catalect. Si puellam parerem, nolle tolli? Ch. scio quid feceris: Sustulisti? Sy. sic est factum domina: ergo herus damno auctus est.

So. Minimè: sed erat hìc anus Corinthia haud impura, ei dedi

Aliâs, inscientiam. Exponendam. Ch. ô Iuppiter, tantam esse in animo inscitiam?

So. Perij, quid ego feci? Ch. at rogitas? So. si peccaui mi Chreme,

Insciens feci. Ch. id equidem ego, etiamsi tu neges, certò scio,

Te inscientem, atq; imprudentem dicere ac facere omnia.

Tot peccata in hac re ostendis, nam iamprimum si meum

Imperium exequi voluisses, interemptam oportuit

Non

Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitæ dare.

At id omitto: misericordia, animus maternus: sino.

Quàm bene vero abs te prospectum est: quid voluisti? cogita:

Nempe anui illi prodita abs te filia est plamssumè

Per te, vel vti quæstum faceret, vel vti veniret palam.

Credo, id cogitasti? quid vis? satis est, dum viuat modo.

Quid cum illis agas, quæ neq; ius, neq; bonum, atq; æquom sciunt?

Melius, peius, prosit, obsit: nihil vident, nisi quod lubet.

So. Mi Chreme, peccaui, fateor, vincor. nunc hoc te obsecro,

Quanto tuus est animus natu grauior, tanto sit ignoscentior,

Vt meæ stultitiæ iusticia tua sit aliquid præsidi.

Ch. Scilicet: equidem istuc factum ignoscam: verùm Sostrata

Malè docet te mea facilitas multa. sed istuc, quicquid est,

Qua hoc occeptum est caussa, loquere. So. vt stultè, & miserè omnes sumus

Religiosæ, cùm exponendam do illi, de digito annulum

Detraho,

Detraho, & eum dico vt vnà cum puella exponeret:
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
Ch. Istuc recte: conseruasti te, atq; illam. So. is hic est annulus.
Ch. Vnde habes? So. quam Bachis secum adduxit adolescentulam. Sy. hem.
Ch. Quid ea narrat? So. ea lauatum dum it, seruandum mihi dedit. (illicò
Animum non aduorti primò, sed postquam aspexi,
Cognoui, ad te exilui. Ch. Quid nunc suspicare, aut inuenis
De illa? So. nescio, nisi vt ex ipsa quæras, vnde hunc habuerit,
Si potis est reperiri. Sy. Interij: plus spei video, quàm volo:
Nostra est, si ita est. Ch. viuitne illa, cui tu dederas? So. nescio. (seram.
Ch. Quid renunciauit olim fecisse? So. id quod iussi.
Ch. Nomen mulieris cedo quod sit, vt quæratur.
So. Philtere.
Sy. Ipsa est, mirum ni illa salua est, & ego perij.
Ch. Sostrata,
Sequere me intrò hac. So. vt præter spem euenit, quàm timui molè,
Ne nunc animo ita esses duro, vt olim in tollenda Chreme.
Ch. NON LICET hominem esse sæpe ita vti volt, si res non sinit.

Nunc

Nunc ita tempus est, mihi vt cupiam filiam: olim nihil minus.

ACTVS IIII. SCENA II.

Iambici octonarij acatalectici.

SYRVS.

NIsi me animus fallit, haud multum à me aberit infortunium:
Ita hercle in angustum oppidò nunc meæ coguntur copiæ:
Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.
Nam quod sperem de argento, aut posse posidem me fallere,
Nihil est: triumpho, si licet me latere tecto abscedere.
Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam subito è faucibus.
Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda est mihi.
NIHIL TAM DIFFICILE, quin quærendo inuestigari possiet.
Quid? si hoc sic incipiam nunc? nihil est. quid, si sic? tantundem egero:
At sic opinor? non potest: immò optumè: euge optumam habeo.
Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitiuum argentum tamen.

ACTVS

ACTVS IIII. SCENA III.

Iambici quadrati catalectici, & vnus senarius. Trochaici quadrati catalectici, & vnus hypercatalecticus.

CLINIA, SYRVS.

NVlla mihi res posthac potest iam interuenire tanta,
Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia oborta est.
Dedo patri me nunc iam, vt frugalior sim, quàm volt.
Sy. Nihil me fefellit: cognita est, quantum audio huius verba.
Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.
Clin. O mi Syre, audistin' obsecro? Sy. quid ni: quà vsq; vnà affuerim.
Clin. Cui æquè audisti commodius quicquam euenisse? Sy. nulli.
Clin. Atq; ita me Dij ament, vt ego nunc non tam meapte caussa
Lætor, quàm illius: quam ego scio esse honore quouis dignam.
Sy. Ita credo: sed nũc Clinia age, da te mihi vicissim:
Nam amici quoq; res est videnda, in tuto vt collocetur,
Ne quid de amica nunc senex. Clin. ô Iuppiter.
Sy. quiesce.

Clin. Antiphila mea nubet mihi. Sy. siccine me interloquere?
Clin. Quid faciam Syre mi? gaudeo: fer me.
Sy. fero hercle vero.
Clin. Deorum vitam adepti sumus. Sy. frustra operam opinor sumo.
Clin. Loquere, audio. Sy. at iam hoc non ages.
Clin. agam. Sy. videndum est inquam,
Amici quoq; res Clinia tui in tuto vt collocetur:
Nam si nunc à nobis abis, & Bachidem hìc relinquis.
Noster resciscit illicò esse amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, cælabitur itidem, vt cælata adhuc est.
Clin. At enim istoc nihil est magis Syre meis nuptijs aduorsum?
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam. Sy. quid ni?
Clin. Quid dicam? quam caussam afferam?
Sy. quin nolo mentiare:
Aperte, ita vt res sese habet, narrato. Clin. quid ais? Sy. iubeo,
Illam te amare, & velle vxorem: hanc esse Clitiphonis.
Clin. Bonam atq; iustam rem oppidò imperas, & factu facilem.
Et scilicet iam me hoc voles patrem exorare, vt celet

Senem vostrum. Sy. immò vt recta via rem narret ordine omnem. Clit. hem,
Satin' sanus es, & sobrius? tu quidem illum plane prodis:
Senarius.
Ridicula exultatio serui in consilio periculoso, quod longè secus cadit, quæ ipse sibi pollicetur.
Nam quî ille poterit esse in tuto? dic mihi.
Sy. Huic equidem consilio palmam do: hîc me magnificè effero,
Qui vim tantam in me, & potestatem habeam tanta astutiæ,
Vera dicendo, vt eos ambos fallam, vt cùm narret senex
Vester nostro, istam esse amicam gnati, non credat tamen.
Clin. At enim spem istoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis:
Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committit filiam.
Tu fortasse, quid me fiat, parui pendis, dum illi consulas.
Aliàs, ex interprete, prôh.
Sy. Quid? (malum) me ætatem censes velle id assimularier?
Vnus est dies, dum argentum eripio, pax. nihil amplius.
Clin. Tantum sat habes? quid tum quæso, si hoc pater resciuerit?
Sy. Quid, si redeo ad illos qui aiunt, quid si nunc COELVM RVAT?
Clin. Metuo, quid agam. Sy. metuis? quasi non ea potestas sit tua,
Quo velis in tempore vt te exoluas, rem facias palam.
Clin. Age, age traducatur Bachis. Sy. optumè ipsa exit foras.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

BACHIS, CLINIA, SYRVS, DROMO, PHRYGIA ancilla.

Iamb. quadr. catalect.
Vnus hypercatalecticus.
SAtis pol proteruè me Syri promissa huc induxerunt:
Decem minas, quas mihi dare pollicitus est, quod si is nunc me
Deceperit, sæpe obsecrans me, vt veniam, frustra veniet.
Aut cùm venturam dixero, & constituero, cùm is certè
Renunciarit, Clitipho cum spe pendebit animi,
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo pœnas pendet.
Clin. Satis scitè promittit tibi. Sy. atqui tu hanc iocari credis?
Faciet, nisi caueo. Ba. dormiunt: ego pol istos commouebo,
Mea Phrygia audisti' homo iste modo quam villam demonstrauit,
Charini? Ph. audiui. Ba. proxumam esse huic fundo ad dextram? Ph. memini.

Ba. Curriculo percurre: apud eum miles Dionysia agitat.
Sy. Quid hæc inceptat? Ba. dic me hîc oppidò esse inuitam, atq; asseruari,
Verùm aliquo pacto verba me his daturam esse, & venturam.
Sy. Perij hercle: Bachis mane, mane: quò mittis istanc, quæso?
Iube, maneat. Ba. abi. Sy. quin est paratum argentum. Ba. quin ego maneo.
Sy. Atquà iam dabitur. Ba. vt lubet, num ego instо? Sy. ad scin' quid sodes?
Ba. Quid? Sy. transeundum nunc tibi ad Menedemum est, & ua pompa
Eò traducenda est. Ba. quam rem agis? scelus. Sy. egon'? argentum cudo,
Quod tibi dem. Ba. dignam me putas, quam illudas? Sy. non est temerè.
Ba. Etiamne tecum hîc res mihi est? Sy. minimè: tuum tibi reddo.
Ba. Eatur. Sy. sequere hac: heus Dromo. Dr. quis me volt? Sy. Syrus. Dr. quid est rei?
Sy. Ancillas omneis Bachidis traduce huc ad vos propere.
Dr. Quamobrem? Sy. ne quæras: & ferant, quæ secum huc attulerunt.
Sperabit sumptum sibi senex leuatum esse harum abitu.

Ne

Ne ille haud scit, hoc paululum lucri quantum ei damni apportet.
Tu nescias quod scis Dromo, si sapies. Dr. mutum dices.

ACTVS IIII. SCENA V.

Senarij & vnus quadratus.

CHREMES, SYRVS.

Error Chremetis ridiculus, qui fabulam totam reddit iucundiorem.

ITa me Dij amabunt, vt nunc Menedemi vicem
Miseret me, tantum deuenisse ad eum mali.
Illanccine mulierem alere cum illa familia?
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet:
Ita magno desiderio fuit ei filius. Quadrat.
Verùm, vbi videbit tantos sibi sumptus domi
Cotidianos fieri, nec fieri modum:
Optabit rursum, vt abeat ab se filius.
Syrum optumè eccum. Sy. cesso hunc adoriri?
Ch. Syre. Sy. hem.
Ch. Quid est? Sy. te mihi ipsum dudum exoptabam Senarij.
Ch. Videre egisse iam nescio quid cum sent. (dari.
Sy. De illo, quod dudum? dictum ac factum reddidi.
Ch. Bonan' fide? Sy. bona hercle. Ch. nõ possum pati,
Quin tibi caput demulceam. accede huc Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens.
Sy. At si scias, quàm scitè in mentem venerit.
Ch. Vah, gloriare euenisse ex sententia:
Sy. Non hercle vero, verum dico. Ch. dic, quid est?
Sy. Tũ Clitiphonis esse amicam hanc Bachidem

Menedemo dixit Clinia, & ea gratia
Secum adduxisse, ne tu id præsentisceres.
Ch. probè. Sy. dic sodes. Ch. nimium inquam.
Sy. immò sic satis.
Sed porro ausculta quod superest fallaciæ.
Sese ipsa dicet tuam vidisse filiam:
Eius sibi complacitam formam, postquam aspexerit:
Hanc se cupere vxorem. Ch. modo quæ inuenta est?
Sy. eam:
Et quidem iubebit poscI. Ch. quamobrem istuc Syre?
Nam prorsus nihil intellego. Sy. vah, tardus es.
Ch. fortasse. Sy. argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum atq; vestem, qui te nésne? Ch. comparet?
Sy. Idipsum. Ch. at illi ego neq; do: neq; despondeo.
Sy. Non. quamobrem? Ch. quamobrem? me rogas?
homini? Sy. vt lubet.
Non ego perpetuum dicebam illam illi vt dares,
Verum vt simulares. Ch. non mea est simulatio:
Ita tu istæc tua misceto, ne me admisceas.
Egon' cui daturus non sim, vt ei despondeam?
Sy. Credebam. Ch. minimè. Sy. scitè poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere iusseras,
Eò cœpi. Ch. credo. Sy. cæterum equidem istuc Chre-
Aequi boniq; facio. Ch. atqui cum maxumè. (me
Volo te dare operam vt fiat, verùm alia via.
Sy. Fiat: quæratur aliud. sed illud quod tibi
Dixi de argento, quod ista debet Bachidi,
Id nunc reddendum est illi: neq; tu scilicet

Eò nunc confugies, quid mea? num mihi datum' st?
Num iussi? num illa oppignorare filiam
Meam, me inuito potuit? verum illud Chreme
Dicunt: IVS SVMMVM, sæpe summam malitia est
Ch. haud faciam. S. immò alijs si licet, tibi non licet.
Omnes te in lauta & bene aucta parte putant.
Ch. Quin egomet iam ad eam deferam. S. immò filiũ
Iube potius. Ch quamobrem? Sy. quia enim in hunc
suspitio est.
Translata amoris. Ch. quid tum? Sy. quia videbitur
Magis verisimile id esse, cum hic illi dabit:
Et simul conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest: abi: effer argentum. Ch. effero.

ACTVS IIII. SCENA VI.

CLITIPHO, SYRVS.

NVlla est tam facilis res, quàm difficilis fiet,
Quam inuitus facias: vel me hæc deambula-
Quàm non laboriosa, ad languorem dedit, (tio,
Nec quicquam magis nunc metuo, quàm de denuo
Miser aliquò extrudar hinc, ne accedam ad Bachi-
dem.
Vt te omnes quidem dij deæq; quantum est, Syre cum
Tu istoc inuento, cumq; incepto peduint.
Huiusmodi res semper comminiscere,
Vbi me excarnifices. Sy. i tu hinc quò dignus es,
Quàm pene tua me perdidit proteruitas.

Clit. Vellem hercle factum: ita meritus. Sy. meritus? quo modo?
Næ me istuc ex te prius audisse gaudeo,
Quàm argentum haberes, quod daturus iam fui.
Clit. Quid igitur dicam tibi, vis? abisti, mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
Sy. Iam non sum iratus: sed scin' vbi nunc sit tibi
Tua Bacchis? Clit. apud nos. Sy. non. Clit. vbi igitur? Sy. apud Cliniam.
Clit. Perij. Sy. bono animo es: iam argentum ad eam deferes, (patre.
Quod ei pollicitus. Clit. garris, vnde id? Sy. à tuo
Clit. Ludis fortasse me. Sy. ipsa re experibere.
Clit. Næ ego fortunatus homo sum. deamo te Syre.
Sy. Qua causa id fiat, obsecundato in loco.
Sed pater egreditur: caue, quicquam admiratus sies.
Quod imperabit facito: loquitor paucula.

ACTVS IIII. SCENA VII.

Senarij.

CHREMES, SYRVS, CLITIPHO.

VBi Clitipho nunc est? Sy. eccum me inique. Clit. eccum hic tibi.
Ch. Quid rei esset, dixti huic? Sy. dixi pleraq; omnia.
Ch. Cape hoc argentum, ac defer. Sy. hei, quid stas lapis?
Quin accipis? Clit. cedo sane. Sy. sequere hac me ocyus. Tu

Tu hic nos dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil est illic, quod moremur diutius.
Ch. Minas quidem iam decem habet à me filia:
Quas pro alimentis esse nunc duco datas.
Hasce ornamentis consequentur alteræ.
Porrò hæc talenta dotis apposcent duo.
QVAM MVLTA iusta iniusta fiunt moribus?
Mihi nunc, relictis rebus inueniendus est
Aliquis, labore inuenta mea cui dem bona.

ACTVS IIII. SCENA VIII.

MENEDEMVS, CHREMES, Senarij.

MVlto omnium nunc me fortunatissimum
Factum puto esse gnate, cùm te intelligo
Resipisse. Ch. vt errat. Me. teipsum quærebam Chreme;
Serua, quod in te est, filium, & me, & familiam.
Ch. Cedo, quid vis faciam? Me. inuenisti hodie filiã?
Ch. Quid tum? Me. hanc sibi vxorem dare volt Clinia.
Ch. Quæso, quid tu hominis es? Me. quid? Ch. iamne oblitus es,
Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Vt ea via abs te argentum auferretur? Me. scio.
Ch. Ea res nunc agitur ipsa. Me. quid dixti Chreme?
Erraui: sic res acta est, quanta spe decidi.

Erraui, prima syllaba pertinet ad versum præcedentem.

Ch. Immò hæc, quæ apud te est, Clitiphonis est
Amica. Me. ita aiunt. Ch. & tu credis? Me. omnia.
Ch. Et illum aiunt velle vxorem, vt cùm desponderim.
Des qui aurum, ac vestem, atq; alia, quæ opus sunt,
comparet.
Me. Id est profectò: id amicæ dabitur. Ch. scilicet
Daturum. Me. vah, frustra igitur gaudisus miser:
Quidvis tamen iam malo, quàm hunc amittere.
Quid nunc renunciem abs te responsum Chreme?
Ne sentiat me sensisse, atq; ægrè ferat.
Ch. Aegrè? nimium illi Menedeme indulges. Me. sine.
Inceptum est: perfice hoc mihi perpetuò Chreme.
Ch. Dic conuenisse, egisse te de nuptijs.
Me. Dicam, quid deinde? Ch. me facturum esse
omnia,
Generum placere: postremò etiam si voles,
Desponsam quoq; esse dicito. Me. hem, istuc volueram.
Ch. Tanto ocyus te vt poscat, & tu id quod cupis,
Quàm ocissimè vt des. Me. cupio. Ch. næ tu propediem,
Vt istam rem video, istius obsaturabere.
Sed hæc, vt vt sunt, cautim, & paulatim dabis,
Si sapies. Me. faciam. Ch. abi intrò, vide, quid postulent:
Ego domi ero, si quid me voles. Me. sane volo,
Nam te sciente faciam, quicquid egero.

ACTVS

Trochaici quadrati catalectici, & Senarij iambici.

MENEDEMVS, CHREMES.

EGo me non tam astutum, neq; ita perspicacem esse † id scio:
Sed hic adiutor meus, & monitor, & præmonstrator Chremes
Hoc mihi præstat, in me quidvis harũ rerũ conuenit
Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus:
In illum nihil potest: nam exuperat eius stulticia hæc omnia.
Ch. Ohe, iam desine inquam Deos vxor gratulando obtundere,
Tuam esse inuentam gnatam, nisi illos ex tuo ingenio iudicas:
Vt nihil credas intelligere, nisi si idem dictum est centies.
Sed interim quid illic iamdudum gnatus cessat cum Syro?
Me. Quos ais homines Chreme cessare? Ch. ehem, Menedeme aduenis?
Dici mihi, Cliniæ, quæ dixi, nunciastin? Me. omnia.
Ch. Quid ait? Me. gaudere adeo occepit, quasi qui cupiunt nuptias.
Ch. Ha, ha, hæ. Me. quid risisti? Ch. seruì venere in mentem Syri
Calliditates. Me. itáne? Ch. vultus quoq; hominum fingit scelus. Me. Gna-

Epitasis. periculorũ Clitiphonis.

Alias, certò scio: tunc esset Iambicus.

Me. Gnatus quod se assimulat lætum, id dicis?
Ch. id. Me. idem istuc mihi
Venit in mentem. Ch. veterator. Me. magis, si magis noris, putes
Ita rem esse. Ch ain' tu? Me. quin tu ausculta.
Ch. mane: hoc prius scire expeto,
Quid perderis: nam tibi desponsam nunciasti filio,
Continuò iniecisse verba tibi Dromonem, scilicet,
Sponsæ vestem, aurum, ancillas, opus esse argentum vt dares.
Me. Non. Ch. quid non? Me. non inquam. Ch. neq; ipse gnatus? Me. nihil prorsus Chreme.
Magis vnum etiam instare, vt hodie conficerentur nuptiæ.
Iam. tetra. catalect. Ch. Mira narras. quid Syrus meus? ne is quidem quicquam? Me. nihil.
Ch. Quamobrem? Me. nescio equidem. miror, qui alia tam planè scias.
Sed ille tuus quoq; Syrus idem mirè finxit filium, vt
Ne paulum quidem suboleat esse amicam hanc Cliniæ:
Ch. Quid ais? Me. mitto iam osculari atq; amplexari: id nihil puto.
Ch. Quid est, quod amplius simuletur? Me. vah.
Ch quid est? Me. audi modo,
Est mihi vltimis conclaue in ædibus quoddam retro?
Huc est intrò latus lectus: vestimentis stratus est.

Ch. Quid

Ch. Quid, postquam hoc est factum? Me. dictum factum, huc abijt Clitipho.
Ch. Solus? Me. solus. Ch. timeo. Me. Bachis consecuta est illicò.
Ch. Sola? Me. sola. Ch. perij. Me. vbi abiere intrò, operuere ostium. Ch hem,
Clinia hæc fieri videbat? Me. quid ni? mecum vnà simul — Senarij. iambici.
Ch. Filij est amica Bachis Menedeme, occidi.
Me. Quamobrem? Ch. decem dierum vix mihi est familia. — Chremes agnoscit errorem ac stulticiam suam.
Me. quid? istuc times, quod ille operâ amico dat suo?
Ch. Immò quod amicæ. Me. si dat. Ch. an dubium id tibi est?
Quenquam animo tam comi esse, aut leni putas,
Qui se vidente amicâ patiatur suam? Me ha, ha hæ.
Quid ni? quo verba facilius dentur mihi.
Ch. Derides? meritò mihi nunc ego succenseo.
Quot res dedere, vbi possem persentiscere,
Nisi essem lapis: quæ vidi? væ misero mihi.
At næ illud haud inultum, si viuo, ferent: — Salsum est, quod Chremi decãrat ipsius propriam philosophiã, quas si suo cum gladio petens,
Nam iam. Me. non tu te cohibes? non te respicis?
Non tibi ego exempli satis sum? Ch. præ iracundia
Menedeme non sum apud me. Me. te ne istuc loqui?
NONNE id flagitium? est, te alijs consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?
Ch. Quid faciam? M. id, quod me scisse aiebas parũ:
Fac, te esse patrem sentiat: fac audeat

Tibi

Tibi credere omnia, abs te petere, & poscere,
Ne quam aliam quærat copiam, ac te deserat.
Ch. Immò abeat potius malo quouis gentium,
Quàm hic per flagitium ad inopiam redigat patrẽ:
Nam si illi pergam suppeditare sumptibus
Menedeme, mihi illæc verè ad vastros res redijt.
Me. Quot incommoda tibi in hac re capies, nisi caues?
Difficilem ostendis te esse, & ignoscis tamen
Post, id ingratum. Ch. ah nescis, quàm doleam.
Me. vt lubet.
Quid hoc, quod rogo, vt illa nubat nostro? nisi quid est,
Quod mauis. Ch. imò & gener, & affines placent.
Me. Quid dotis dicam te dixisse filio?
Quid obticuisti? Ch dotis? Me. ita dico. Ch. ah. Me. Chreme,
Trochaic. quadrat. catalect. Ne quid vereare: sin minus, nihil dos nos mouet.
Ch. Duo talenta pro re nostra ego esse decreui satis:
Sed ita dictu opus est, si me vis saluom esse, & rem, & filium,
Me mea omnia bona doti dixisse illi. Me. quam rem agis?
Ch. Id mirari te simulato, & illum rogitato simul,
Quamobrem id faciam. Me. quin ego vero, quamobrem id facias, nescio.
Ch. Egone? vt eius animum, qui nunc uxoria & lasciua

Diffluit,

Diffluit, retundam, redigam, vt quò se vortat, nesciat.
Me. Quid agis? Ch. mitte, ac sine me in hac re gerere mihi morem. Me. sino:
Itane vis? Ch. ita. Me. fiat. Ch. age iam, vxorem vt accersat, paret.
Hic ita, vt liberos est æquom, dictis confutabitur.
Sed Syrum. Me. quid eum? Ch. egone? si viuo, adeo exornatum dabo, (mei?
Adeo depexum, vt, dum viuat, meminerit semper
Qui sibi me pro deridiculo, ac delectamento putat.
Non (ita me Dij ament) auderet hæc facere viduæ mulieri,
Quæ in me facit.

Versus perficitur sequenti scena.

ACTVS V. SCENA II.

Trochaici quadrati catalectici, mixtis Iambicis quadratis.

CLITIPHO, MENEDEMVS, CHREMES, SYRVS.

ITane tandem quæso Menedeme, vt pater
Tam in breui spacio omnem de me ejecerit animum patris?
Quod nam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Volgo faciunt. Me. scio tibi hoc esse grauius multo, ac durius,
Cui fit: verùm ego haud minus ægrè patior id, què nescio,

Nec

Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.

Clit. Hîc patrem astare aiebas? Me. eccum. Ch. quid me incusas Clitipho?

Quicquid ego huius feci, tibi prospexi, & stultitiæ tuæ.

Vbi te vidi esse animo omisso, & suauia in præsentia

Quæ essent, prima habere, neq; consulere in longitudinem:

Cœpi rationem, vt neq; tu egeres, neq; tu hæc posses perdere.

Vbi, cui decuit primo tibi non licuit per te mihi dare,

Abij ad proximos, tibi qui erant: eis commisi, & credidi,

Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium Clitipho,

Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. Clit. hei mihi.

Ch. Satius est, quàm teipso hærede hæc possidere Bachidem.

Sy. Disperij: sceleſtus quantas turbas conſciui insciens?

Clit. Emori cupio. Ch. prius quæso disce, quid sit viuere:

Vbi scies, si displicebit vita, tum isthoc vtitor.

Sy. Here, licétne? Ch. loquere. Sy. an tutò? Ch. loquere. Sy. quæ ista prauitas,

Quæue amentia est, quod peccauì ego, id obesse huic? Ch. ilicet,

Ne te admisce: nemo accusat Syre te: nec tu aram tibi,

Neq; precatorem pararis. Sy. quid agis? Ch. nihil succenseo.

Nec tibi, nec huic: nec vos est æquom, quod facio mihi.

Sy. Abijt: ac rogasse vellem. Clit. quid? Sy. vnde mihi peterem cibum.

Ita nos abalienauit, tibi iam esse ad sororem intellego.

Clit. Adeon' rem redijsse, vt periculum etiam fame mihi sit Syre?

Sy. Modo liceat viuere, est spes, Clit. qui? Sy. nos esurituros satis.

Clit. Irrides in re tanta, neq; me quicquam consilio adiuuas?

Sy. Immò & ibi nunc sum, & vsq; dudum id egì, dum loquitur pater:

Et, quantum ego intellegere possum. Clit. quid? Sy. non aberit longius.

Clit. Quid id ergo? Sy. sic est, non esse horum te arbitror. Clit. quid istuc Syre?

Satin' sanus es? Sy. ego dicam, quod mihi in mentem: tu dijudica.

Dum istis fuisti solus, dum nulla delectatio,

Iucunda varietas est in fabula. Suprà seruus magnificè prædicat se ipse, & putat se astutissimè fefellisse vtrunq; senem: Nunc contrà deplorat exitum tam temerarij consilij. Estq; egregia imago humanorum consiliorũ, quib. sæpe cùm videntur astutissimè cogitata, non respondent exitus.

Quæ propior esset, te indulgebant, tibi dabant: nunc, filia
Postquam est inuenta vera, inuenta est caussa, qua te expellerent.
Clit. Est verisimile. Sy. an tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas?
Clit. Non arbitror. Sy. nunc aliud specta: matres omnes filijs
In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria
Solent esse: id non fit. Clit. verum dicis: quid ergo nunc faciam
Syre? Sy. suspicionem istanc ex illis quære: rem profer palam.
Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces citò, aut
Scibis cuius sis. Clit. rectè suades: faciam. Sy. sat rectè mihi in
Mentem venit: namq; adolescens, quàm minima in spe situs erit.
Tam facillimè patris pacem in leges conficiet suas.
Etiam haud scio, an ne vxorem ducat, ac Syro nil gratiæ.
Iam. tetra. catalect. Quid autem hoc? senex exit foras: ego fugio, adhuc quod factum est,
Miror? non iussisse illicò arripi me: ad Menedemum hinc pergam,
Eum peccatorem mihi paro, seni nostro fidei nihil habeo.

ACTVS

Iambici quadrati acatalectici. Trochaici varij, numero septem.

SOSTRATA, CHREMES.

PRofectò, nisi caues tu homo, aliquid gnato conficies mali: — Facetа matris cum viro collatio.
Idq; adeo miror, cùm tam ineptum quicquam potuerit tibi
Venire in mentem, mi vir. Ch. oh, pergin' mulier esse? vllamne ego
Rem vnquam volui, quin tu in ea re mihi fueris aduorsatrix Sostrata?
At si rogitem iam: quid est quod peccem, aut quamobrem hoc faciam, nescias.
In qua re nunc tam confidenter restas stulta?
So. ego nescio.
Ch. Immò scis potius, quàm quidem redeat ad integrum eadem oratio. — Senarij catalectici.
So. Oh, iniquos es, qui me tacere de re tanta postules.
Ch. Non postulo: iam loquere: nihilo minus ego hoc faciam tamen. — Trochaic.
So. Facies. Ch. verum. So. non vides, quantum mali ex ea re excites?
Subditum se suspicatur. Ch. subditum ain' tu? — Octona. hypercat.
So. certè inquam mi vir.
Ch. Confitere tuum non esse. So. au, obsecro, istuc inimicis fiet, — Denar cat.
Egon' confitear meum non esse filium, qui sit meus? — Tetramet. Iam. cata.

Ch. Quid metuis? ne non, cùm velis, conuincas esse illum tuum?
So. Quod filia est inuenta? Ch. non, sed quod magis credendum siet,
Dimeter Trochaic. Id quod est consimilis moribus,
Conuinces facilè ex te natam: nam tui similis est probè:
Nam illi nihil vicij est relictum, quin id itidem sit tibi:
Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Sed ipse egreditur, quàm seuerus, rem cum videas, censeas.

ACTVS V. SCENA IIII.

Trochaici quadrati catalectici, permixtis iambicis aliquot.

CLITIPHO, SOSTRATA, CHREMES.

SI vnquam vllum fuit tempus mater, cùm ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tua voluntate, obsecro
Eius vt memineris, atq; inopis nunc te misereſcat mei,
Quod peto, & volo, parenteis meos vt commonstres mihi.
So. Obsecro mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum,
Alienum esse te. Clit. sum. So. miseram me, hoccine quæsisti obsecro?

Ita

Ita mihi, atq; huic sis superstes, vt ex me, atq; ex hoc natus es:
Et caue posthac, si me amas, vnquam istuc verbum ex te audiam.
Ch. At ego, si me metuis, mores caue in te esse istos sentiam. Obiurgatio conueniens patri.
Clit. Quos? Ch. si scire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnosus: crede, & nostrum te esse credito.
Clit. Non sunt iam hæc parentis dicta. Ch. non, si ex capite sis meo
Natus, item vt aiunt Mineruam esse ex Ioue, ea causſa magis
Patiar Clitipho flagitijs tuis me infamem fieri.
So. Dij istæc prohibeant. Ch. Deos vescio: ego quod potero, enitar sedulò.
Quæris id, quod habes parenteis: quod abest, non quæris, patri
Quomodo obsequare, & vt serues quod labore inuenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos pudet
Dicere hac præsente verbum turpe: at te id nullo modo
Facere piguit. Clit. eheu, quàm ego nunc totus displiceo mihi,
Quàm pudet: neq;, quod principium incipiam ad placandum, scio.

ACTVS V. SCENA V.

Trochaici quadrati acatalectici, mixtis iambicis quadratis.

MENEDEMVS, CHREMES, CLITIPHO, SOSTRATA.

Catastrophe. ENimuero Chremes nimis grauiter cruciat adolescentulum,
Nimiúq; inhumanè: exeo ergo, vt pacem conciliem, optumè
Ipsos video. Ch. ehem, Menedeme cur non accersi iubes
Filiam, & quod dotis dixi, firmas? So. mi vir, te obsecro
Ne facias. Clit. pater, obsecro vt mihi ignoscas. Me. da veniam Chreme,
Iam. tetra. Sine te exorem. Ch. egóne mea bona vt dem Bachidi dono? sciens
Iambicus. Non faciam. Me. ad id nos non sinemus. Clit. si me viuum vis pater,
Trochaic. Ignosce. So. age, Chreme mi. Me. age quæso, ne tam offirma te Chremes.
Ch. Quid istuc? video non licere, vt cœperam, hoc pertendere.
Me. Facis, vt te decet. Ch. ea lege hoc adeo faciam, si id faciat,
Quod ego hunc æquom censeo. Clit. pater, omnia faciam; impera.

Ch. Vxo-

Ch. Vxorem vt ducas. Clit. pater. Ch. nihil audio.
Me. ad me recipio,
Faciet. Ch. nihil etiam audio ipsum. Clit. perij. So. an dubitas Clitipho?
Ch. Immò vtrum vult. Me. faciet omnia. So. hæc, dum incipias, grauia sunt,
Dumq; ignores; vbi cognoris, facilia. Clit. faciam pater.
So. † Nate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facilè ames, Nate mi, est extra versum.
Filiam Phanocratæ nostri. Clit. yuffamne illam virginem
Cæsiam, sparso ore, adunco naso? non possum pater.
Ch. Eia, vt elegans est, credas animum ibi esse. So. aliam dabo.
Clit. Quid istuc? quandoquidem ducenda est, ego-met habeo propemodum,
Quam volo. So. nunc pol laudo gnate te. Clit. Archonidi filiam.
So. Perplacet. Clit. pater, hoc nunc restat. Ch. quid? Clit. Syro ignoscas volo.
Quæ mea caussa fecit. Ch. fiat. Vos valete, & plaudite.

CALLIOPVS RECENSVI.

ARGVMENTVM IN ADELPHOS.

VT mira varietas est ingeniorum ac morum humanorũ, ita in fabulis dissimilia exempla, cum senum, tum adolescentũ pinguntur. Id vel maximè cernitur in hac Comœdia, quæ lenem patrem cum duro ac difficili conferens, pingit nobis imaginem lenitatis, & vt Græci vocãt ἐπιεικείας, quæ prodest omnibus ætatibus, omnibus ordinibus in omni genere vitæ. Nam neq; in rebus publicis concordia, neq; priuatim in familijs retineri tranquillitas potest, nisi singuli quædam aliorũ vitia dissimulemus, ac feramus, & offensiones quasdam nostra commoditate sanemus. Hoc præceptum in hac fabula nobis proponi statuamus, & quod ait Mitio: Non habeo necesse omnia pro meo iure agere. Quod is in re non maxima vsurpat, non ad omnem vitam, maximeq; ad rerũ publicarũ administrationem transferendum esse dicamus, ne priuatas iniurias cum Reipub. periculo vlciscamur. Est autẽ Protasis fabulæ. Aeschinus in gratiam fratris rapit Lenoni mulierculam. Id postquam resciuit Demea pater, aspero ingenio cum Mitione, cui Aeschinum dederat adoptandum expostulat, queriturq;, filiũ ipsius

ipsius dulgentia corrũpi. Error Demeæ reddit fabulã iucundiorẽ: Nam muliercula nihil ad Aeschinum, sed ad alterum fratrem pertinet, cuius mores Demea prædicat, & à se regi seueriſsimè putat. Periclitantur igitur Aeschinus & seruuli, ne Demea resciscat peccatum eius adolescentis. Estq; id etiam exemplum boni & liberalis ingenij, quod Aeschino frater tantopere curæ est. Cæterùm amabat & Aeschinus ingenuam quandam, cui fidem dederat se ducturum eam vxorem, quæ, rapta Psaltria, metuit ne deseratur ab Aeschino.

EPITASIS.

Demea resciscit, Aeschinũ obtuliſse vitium ingenuæ, ea de re miras Tragœdias agit apud fratrem Mitionem. Magis etiam excandescit, cùm audit, Psaltriam ad suum illum frugaliorem adolescẽtem pertinere.

CATASTROPHE.

Hæ turbæ omnes prudẽtia & mãsuetudine Mitionis sedãtur. Est autẽ hæc fabula vel in primis Rhetorica, habet crebras accusatio-

nes, querelas, errores. Quare non solùm res habet, vtile ad vitam exemplum: sed etiam oratio ad facundiam alendam atq; augendam prodest.

FABVLÆ INTER LOCVTORES.

MITIO	*senex.*
AESCHINVS	*adolescens.*
SYRVS	*seruus.*
SOSTRATA	*matrona.*
PAMPHILA	*nurus.*
GETA	*seruus.*
DEMEA	*senex.*
CTESIPHO	*adolescens.*
DROMO	*seruus.*
HEGIO	*senex.*
CANTHARA	*nutrix.*
SANNIO	*leno.*

C. SVL

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN ADELPHOS.

DVos cùm haberet Demea adolescentulos,
Dat Mitioni fratri adoptandum Aeschinum,
Sed Ctesiphonem retinet. hunc Citharistriæ
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celabat Aeschinus, famam rei,
Amorem in se transferebat, deniq;
Fidicinam lenoni eripuit, vitiauerat
Idem Aeschinus ciuem Atticam pauperculam,
Fidemq; dederat, hanc sibi vxorem fore.
Demea iurgare, & grauiter ferre: mox tamen,
Vt veritas patefacta est, ducit Aeschinus
Vitiatam, potitur Ctesipho Citharistriam.

ACTA

FACTA LVDIS FV-
NEBRIBVS, L. AEMILII PAVLI
Q. FABIO MAXIMO. PVB. COR-
NELIO AFRICANO, AEDILIBVS
CVRVLIBVS. EGERE LVC. AT-
TILIVS PRÆNESTINVS, MINV-
TIVS PROTIMVS. MODOS FE-
CIT FLACCVS CLAVDI. TIBIIS
SARRHANIS. FACTA GRÆCA
MENANDRV, L. ANICIO,
MARCO CORNE-
LIO COSS.

PROLOGVS.

Defensio, quod non Plauti, sed suam fabulã afferat, quia locũ à Plauto prætermissum, perpolierit.

POstquam Poëta sensit scripturam suam
Ab iniquis obseruari, & aduersarios
Rapere in peiorem partem, quam acturi sumus:
Indicio de se ipse gerit: vos eritis iudices,
Laudin' an vicio duci factum oporteat.
Synapothneſcontes Diphili Comœdia est.
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam:
In Græca adolescens est, qui Lenoni eripit

Mere-

Meretricem, in prima fabula, cùm Plautus locum
Reliquit integrum, eum hic locum sumsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit,
Eam nos acturi sumus nouam, pernoscite,
Furtumne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui præterius negligentia est.
Nam quod isti dicunt maleuoli, homines nobiles
Eum adiutare, assidueq; vnà scribere,
Quod illi maledictum vehemens existimant:
Eam laudem hic ducit maxumam, cùm illis placet,
Qui vobis vniuersis, & populo placent:
Quorum opera in bello, in ocio, in negocio,
Suo quisq; tempore vsus est, sine superbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulæ:
Senes qui primi venient, hi partem aperient,
In agendo partem ostendent, facite, æquanimitas
Vestra Poëtæ ad scribendum augeat industriam.

Alia defensio, quæ habet egregiam inuersionem: Non est turpe, sed honestissimũ, adiuuari à nobilissimis ciuibus.

ACTVS



WSP Opole



ACTVS

ACTVS PRIMI
SCENA PRIMA.

MITIO senex.

STORAX, *non redijt hac nocte à cœna Aeschinus?* Senarij.
Neq; seruolorum quisquam, qui aduorsum ierant?
Profectò hoc vere dicunt: si absis vspiam,
Aut vbi si cesses, euenire ea satius est,
Quæ in te vxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata, quàm illa, quæ parentes propitij.
Vxor si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi,
Tibi bene esse soli, cùm sibi sit malè.
Ego, quia non redijt filius, quæ cogito?
Quibus nunc sollicitor rebus? ne aut ille alserit, ωἀθ
Aut vspiam ceciderit, aut perfregerit conueni-
Aliquid, vah, quenquamne hominem in animo in- ens patri,
stituere, aut præsertim
Parare, quod sit, carius, quàm ipse est sibi? indulgen-
Atq; ex me hic non natus est, sed ex fratre. is adeo ti.
Dissimili studio est, iam inde ab adolescentia. Narratio,
Ego hanc clementem vitam vrbanam, atq; ocium in qua ex-
Secutus sum: &, quod fortunatam isti putant, ponit, vn-
Vxorem nunquam habui. ille contrà, hæc omnia, de sibi sit
Rure agere vitam, semper parcè, ac duriter filius, & ne
Se habere: vxorem duxit, nati filij dissimili
Duo, inde ego hunc maiorem adoptaui mihi, cõsilio ipse
& Demea
filios re-
gant.

Eduxi

Eduxi à paruolo, habui, amaui pro meo,
In eo me oblecto: solum id est carum mihi.
Ille, vt item contra me habeat, facio sedulò:
Do, prætermitto, non necesse habeo omnia
Pro meo iure agere: postremò alij clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia,
Ea ne me cælet, consuefeci filium:
Nam qui mentiri, aut fallere insueuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit cæteros.
PVDORE, & liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quàm metu.
Hæc fratri mecum non conueniunt, neq; placent.
Venit ad me sæpe clamitans, quid ais Mitio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumptus suggeris?
Vestitu nimio indulges? nimium ineptus es.
Nimium ipse durus est, præter æquomq;, & bonum:

Ratio, cur improbet fratris consilium.

ET ERRAT longè, mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.
Mea est sic ratio, & sic animum induco meum.
MALO COACTVS, qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cauet:
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit,
Studet par referre præsens, absensq; idem erit:
Hoc patrium est, potius consuefacere filium.

Sua sponte recte facere, quàm alieno metu.
Hoc pater, ac dominus interest. hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.
Sed estne hic ipsus, de quo aiebam? & certè is est.
Nescio quid tristem video, credo iam (vt solet)
Iurgabit saluom te aduenire Demea,
Gaudemus.

Hic senarius perficitur initio scenæ sequentis.

ACTVS I. SCENA II.

Senarij.

DEMEA, MITIO.

HEM, opportunè, teipsum quærito.
Mi. Quid tristis es? De. rogitas me? vbi nobis Aeschinus
Siet? quid tristis ego sim? Mi. dixtin' hoc fore?
Quid is fecit? De. quid ille fecerit? quem neq; pudet
Quidquam: neq; metuit quenquam: neq; legem putat
Tenere se vllam. nam ita, quæ antehac facta sunt,
Omitto: modo quid designauit? M. quidnam id est?
De. Fores effregit, atq; in ædeis irruit
Alienas: ipsum dominum, atq; omnem familiam
Multauit vsq; ad mortem: eripuit mulierem,
Quam amabat: clamant omnes indignissime
Factum esse, hoc aduenienti quot mihi Mitio
Dixere? in ore est omni populo. deniq;,
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt
Rei dare operam, rure esse parcum ac sobrium?
Nullum huius simile factum, hæc cùm illi Mitio

Aliàs, rogas. Expostulatio de indulgentia Mitionis. Exordium breue. Narratio.

Error senis reddit iucundiorem fabulam.

Contraria Mitionis oratio.

Dico, tibi dico. tu illum corrumpi sinis.
Mi. HOMINE IMPERITO nunquam quicquam iniustius,
Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.
De. Quorsum istuc? Mi. quia tu Demea hæc malè iudicas.
Non est flagitium (mihi crede) adolescentulum
Scortari, neq; potare, non est: neq; fores
Effringere, hæc si neq; ego, neq; tu fecimus,
Non suùt egestas facere nos: tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum feciſti inopia.
Iniurium 'st: nam si esset vnde id fieret,
Faceremus: & tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet:
Potius, quàm, vbi te expectatum eiecisset foras,
Alieniori ætate post faceret tamen.
De. Proh Iuppiter, tu homo adiges me ad insaniam,
Non est flagitium facere hæc adolescentulum?
Mi. ah,
Ausculta, ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dediſti adoptandum mihi:
Is meus est factus: si quid peccat Demea,
Mihi peccat: ego illi maximam partem feram:
Obsonat, potat, olet vnguenta? de meo.
Amat? dabitur à me argentum dum erit commodum:
Vbi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur: discidit
Vestem? resarcietur. est, Dijs gratia,

Et vnde hæc fiant, & adhuc molesta sunt.
Postremò, aut desine, aut cedo quemuis arbitrum:
Te plura in hac re peccare, ostendam. De. hei mihi,
Pater esse disce ab alijs, qui verè sciunt.
Mi. Natura tu illi pater es, consilijs ego.
De. Tun' consulis quicquam? M. ah si pergis, abiero.
De. Siccine agis? Mi. an ego toties de eadem re audiam?
De. Curæ est mihi. Mi. & mihi curæ est: verùm Demea
Curemus æquam vterq; partem, tu alterum,
Ego item alterum: nam ambos curare propemodum
Reposcere illum est, quem dediſti. De. ah Mitio.
M. Mihi sic videtur. D. quid istuc? tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.
Iam si verbum vnum posthac. Mi. rursum Demea
Irascere? De. an non credis? repeton' quem dedi?
Aegrè est: alienus non sum si obsto, hem desino,
Vnum vis curem, curo: & est Dijs gratia,
Cum ita, vt volo, est: iste tuus, ipse sentiet.
Posterius nolo in illum grauius dicere.
Mi. Nec nihil, neq; omnia hæc sunt, quæ dicit: tamen
Nonnihil molesta hæc sunt mihi: sed ostendere,
Me ægrè pati, illi nolui: ita est homo:
Cùm placo, aduorsor sedulò, & deterreo.
Tamen vix humanè patitur: verùm si augeam,
Aut etiam adiutor sim eius iracundiæ,
Insaniam profectò cum illo, etsi Aeschinus

Correctio plena humanitatis, quæ mediocritatẽ probat.

Nonnullam in hac re nobis facit iniuriam.
Quam hic non amauit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid? Postremo nuper (credo iam omnium
Tædebat) dixit velle uxorem ducere.
Sperabam iam deseruisse adolescentiam:
Gaudebam, ecce autem de integro, nisi quicquid est,
Volo scire, atq; hominē conuenire, si apud forum est.

ACTVS II. SCENA I.

SANNIO, AESCHINVS.

Narratio, Protasis est & occasio periculorum, ad quæ referuntur deliberationes, quæ in fabula tota sequentur. Trochaic. tetra. acatalect.

OBsecro, populares ferte misero atq; innocenti auxilium: Iam. tet. catal.
Subuenite inopi. Ae. ociose, iam nunc illicò hic consiste,
Quid respectas? nihil periculi est: nunquam, dum ego adero, hic te tanget.
Sa. Ego istam inuitis omnibus. Dimeter.
Ae. Quanquam est scelestus, non committet hodie vnquam iterum vt vapulet.
Sa. Aeschine audi, ne te ignarum fuisse dicas meorum morum.
Leno ego sum. Ae. scio. Sa. at ita, vt nusquam fuit fide quisquam optima.
Tu quod te posterius purges, hanc iniuriam mihi
Trochaic. acatalect. Nolle factam, huius non faciam. crede hoc, ego meum ius persequar:

Neq; tu verbis solues vnquam, quod mihi re maleferis.
Noui ego nostra hæc, nollem factum, iusiurandum dabitur, te esse Acatalect.
Indignum iniuria hac, indignis cum egomet sim acceptus modis. Catalect.
Ae. Abi præstrenue, ac fores aperi. Sa. cæterum hoc nihil facis.
Ae. I intro nunc iam tu. Sa. at enim non sinam. Ae. accede illuc Parmeno. Iam. Cata.
Nimium istoc abisti: hîc propter hunc assiste: hem, sic volo. Trochaic. catalect.
Caue nunc iam oculos à meis oculis quoquam dimoueas tuos,
Ne mora sit, si inuenerim, quin pugnus continuò in mala hæreat. Iam. quad. acatalect.
Sa. istuc volo ergo ipsum experiri. Ae. hem serua: omitte mulierem.
Sa. O facinus indignum. Ae. geminabit, nisi caues. Sa. hei miseriam.
Ae. Non innueram: verùm in istam partem potius peccato tamen:
I nunc iam. Sa. quid hoc rei est? regnumne Aeschine hîc tu possides? Iam atat.
Ae. Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.
Sa. Quid tibi rei mecum est? Ae. nihil. Sa. quid? nostin' qui sim? Ae. non desidero.

Sa. Tetigin' tui quicquam? Ae. si attigisses, ferres infortunium.

Sa. Quî tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?

Responde. Ae. Ante ædeis non fecisse erit melius hoc conuicium:

Nam si molestus pergis esse, iam intrò abripere, atq; ibi.

Vsq; ad necem operire loris. Sa. loris liber? Ae. sic erit.

Sa. O hominem impurum. hiccine libertatem aiunt æquam esse omnibus?

Ae. Si satis iam debachatus es Leno, audi si vis nunc iam.

Sa. Egon? debachatus sum in te, an tu in me? Ae. mitte ista, atq; ad rem redi.

Sa. quam rem? quò redeam? Ae. iamne me vis dicere, quod ad te attinet?

Sa. Cupio, modo æqui aliquid. Ae. vah, leno iniqua me non volt loqui.

Sa. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,

Periurus, pestis: tamen tibi à me nulla est orta iniuria.

Ae. Nam hercle etiam id restat. Sa. illuc quæso redi, quo cœpisti Aeschine.

Ae. Minis viginti tu illam emisti, quæ res tibi vortant malè:

Argenti

Argenti tantum dabitur. Sa. quid? si ego tibi illam nolo vendere,

Coges me? Ae. minimè. Sa. namq; id metui. Ae. neq; vendundam censeo,

Quæ libera est: nam ego illam liberali asserо caussa manu.

Hunc vide virum vis, argentum accipere, an caussam meditari tuam.

Liberali causa, est ablatiuus, significans causam: Et manu asserere, phrasis latina est, pro in libertatem vindicare.

Delibera hoc, dum ego redeo leno. S. proh supreme Iuppiter.

Minimè miror, quâ insanire occipiunt ex iniuria.

Domo me eripuit, verberauit: me inuito abduxit meam:

Ob malefacta hæc tantidem emptam postulat sibi tradier.

Troch. cat. permixtis iamb. acatale est.

Liberali causa, id est, causa recuperandæ libertatis.

Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.

Verùm enim quando bene promeruit, fiat: suum ius postulat.

In enim, eliditur m.

Age iam cupio, si modo argentum reddat, sed ego hoc arriolor.

Vbi me dixero dare tanti, testeis faciet illicò

Vendidisse me de argento somnium. mox, cras redi.

Id quoq; possum ferre, si modo reddat: quanquam iniurium est.

Verùm cogito id, quod res est, quando eum quæsum occeperis.

Accipiunda, & mußitanda iniuria adoleſcentũ eſt,
Sed nemo dabit: fruſtra egomet mecum has rationes deputo.

ACTVS II. SCENA II.

Iambici quadrati acatalectici, & ſenarj.

SYRVS, SANNIO.

Conſilia ſerui, quibus lenonem placat.

TACE, egomet conueniam iam ipſum; cupidè accipiat faxo, atq; etiam
Bene dicat ſecum eſſe actum. quid iſtuc Sannio 'ſt, quod te audio
Neſcio quid concertaſſe cum hero? Sa. nunquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quàm hæc hodie inter nos fuit:
Ego vapulando, ille verberando, vſque ambo defeſſi ſumus.
Sy. Tua culpa. Sa. quid agerem? Sy. adoleſcenti morem geſtum oportuit.
Sa. Quî potui melius, qui hodie vſque os præbui? Sy. age ſcis quid loquar?
Eliſio excipitur à verſu ſequenti. PECVNIAM IN LOCO negligere, maxumum interdum 'ſt lucrum. Sa. hui.
Sy. Metuiſti, ſi nunc de tuo iure conceſſiſſes paulum,
Atq; adoleſcenti eſſes morigeratus, hominum homo ſtultiſſime,
Ne non iſtuc fœneraret. Sa. ego ſpem precio non emo.

Sy. Nunquam vem facies: abi, neſcis ineſcare homines Sannio.
Sa. Credo iſtuc melius eſſe: verùm ego nunquam adeo aſtutus fui,
Quin, quicquid poſſem, mallem auferre potius in præſentia.
Sy. Age, noui tuum animum, quaſi iam vſquam tibi ſint viginti minæ:
Dum huic obſequare, præterea autem te aiunt proficiſci Cyprum. Sa. hem.
Sy. Coëmiſſe hinc, quæ illuc veheres, multa, nauem conductam, hoc ſcio.
Animus tibi pendet: vbi illinc ſpero redieris, tamen hoc ages.
Sa. Nuſquam pedem. perij hercle, hac illi ſpe hoc inceperunt. Sy. timet: Senarij.
Inieci ſcrupulum homini. Sa. ô ſcelera illuc vide,
Vt in ipſo articulo oppreſſit, emptæ mulieres
Complures, & item hinc alia, quæ porto Cyprum.
Niſi eò ad mercatum venio, damnum maxumum 'ſt,
Nunc ſi hoc omittam, actum agam, vbi illinc redierit. Nihil eſt, refrixerit res, nunc demum venis? (ro.
Cur paſſus? vbi eras? vt ſit ſatius perdere,
Quàm aut hîc nunc manere tam diu, aut tum perſequi.
Sy. Iamne enumeraſti, quod ad te rediturum putes?
Sa. Hoccine illo dignum 'ſt? hoccine incipere Aeſchinum?

In per, elipditur e.

Per oppressionem vt hanc mihi eripere postulet?
Sy. Labascit. vnum hoc habeo: vide si satis placet,
Potius, quàm venias in periculum Sannio.
Seruésne, an perdas totum, diuiduum face.
Minas decem corradet alicunde. Sa. hei mihi,
Etiam de sorte nunc venio in dubium miser.
Pudet nihil: omneis dentes labefecit mihi:
Præterea colaphis tuber est totum caput.
Etiam insuper defraudet? nusquam abeo. Sy. vt lubet,
Nunquid vis, quin abeam? Sa. Immò hercle hoc quæso Syre,
Vt vt hæc sunt facta, potius, quàm lites sequar,
Meum mihi reddat, saltem quanti empta 'st Syre.
Scio te non vsum antehac amicitia mea,
Memorem me dicis esse, & gratum. Sy. sedulò
Faciam. sed Ctesiphonem video, lætus est
De amica. Sa. quid, quod te oro? Sy. paulisper mane.

ACTVS II. SCENA III.

Iambici quadrati acatalectici.

CLITIPHO, SYRVS.

Ctesipho laudat fratrem, vt appareat Aeschinū bona & liberali natura præditum esse.

ABS quāuis homine, cùm opus est, beneficium accipere gaudeas,
Verùm enimuero id demum iuuat, si, quem æquom 'st benefacere, is facit.
O frater frater, quid ego te nunc laudem? satis certò scio:

Nunquam

Nunquam ita magnificè quicquam dicam, id virtus quin superet tua.
Itaq; vnam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror,
Fratrem, hominem neminem esse primarum artium magis principem.
Sy. O Ctesipho. Ct. ô Syre, Aeschinus vbi est? Sy. ellum, te expectat domi. Ct. hem.
Sy. Quid est? Ct quid sit? illius opera Syre nunc viuo: festiuum caput,
Qui omnia sibi postputarit esse præ meo commodo: Aliâs, laborem.
Maledicta, famam, meum amorem, & peccatum in se transtulit.
Nihil pote supra. sed quidnam fores crepūt? Aliâs, quisnam.
Sy. mane, mane. Ipsus exit foras.

ACTVS II. SCENA IIII.

Iambici quadrati acatalectici.

AESCHINVS, SANNIO, CTESIPHO, SYRVS.

VBi est ille sacrilegus? Sa. men' quærit? num quidnam effert? occidi,
Nihil video. Ae, ehem, opportunè te ipsum quærito: quid sit Ctesipho?
In tuto est omnis res? omitte vero tristiciam tuam.
Ct. Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem, ô mi Aeschine,
O mi germane, ah vereor coràm in os te laudare amplius.

Ne id

Ne id assentandi magis, quàm quod habeam gratum, facere existimes.

Ae. Age inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos Ctesipho.

Sed hoc mihi dolet, nos pene serò scisse, & pene in eum locum

Rediisse, vt, si omnes cuperent, nihil tibi possent auxiliarier.

Ct. Pudebat. Ae. ah, stulticia 'st istæc, non pudor, tam ob paruolam

Rem pene ex patria, turpe dictu, Deos quæso, vt istæc prohibeant.

Ct. Peccaui. Ae. quid ait tandem nobis Sannio? Sy. iam mitis est.

Ae. Ego ad forum ibo, vt hunc absoluam, tu intro ad illam Ctesipho.

Sa. Syre insta. Sy. eamus, namq; hic properat in Cyprum. Sa. ne tam quidem,

Quamuis etiam maneo ocioſus hic. Sy. reddetur, ne time.

Sa. At vt omne reddat. Sy. omne reddet, tace modo, ac sequere hac. Sa. sequor.

Ct. Heus heus Syre. Sy. hem quid est? Ct. obsecro hercle te hominem istum impurissimum

Quamprimum absolutote, ne, si magis irritatus siet.

Aliqua ad patrem hoc permanet, atq; ego tunc perpetuò pericrim.

Sy. Non

Sy. Non fiet, bono animo esto, tu cum illa te intus oblecta interim,

Et lectulos iube sterni nobis, & parari cætera.

Ego iam, transacta re, conuortam me domum cum obsonio.

Cte. Ita quæso: quando hoc bene succesit, hilarem hunc sumemus diem.

ACTVS III. SCENA I.

Iambici quadrati acatalectici.

SOSTRATA, CANTHARA.

Altera pars fabulæ, de ingenua quã amabat Aeschinus.

OBsecro te mea nutrix, quid nunc fiet?

Can. quid fiet, rogas?

Recte ædepol spero. So. modo dolores mea tu occipiunt primulum.

Ca. Iam nunc times, quasi nunquam assueris, nunquam tute pepereris?

So. Miseram me, neminem habeo, solæ sumus: Getæ autem hîc non adest:

Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui accersat Aeschinum.

Ca. Pol is quidem iam hîc aderit: nam nunquam vnum intermittit diem,

Quin semper veniat. So. solus mearum est miseriarum remedium.

Ca. Ea re nata melius fieri haud potuit, quàm factum est hera:

Quando vicium oblatum est, quod ad illum attinet potissimum,

Talem

Talem, tali genere, atq; animo, natum ex tanta familia.

So. Ita pol est, vt dicis: saluos nobis, Deos quæso, vt siet.

ACTVS III. SCENA II.

Iambici quadrati acatalectici, & vnus dimeter, permixtis trochaicis aliquot acatalect:

GETA, SOSTRATA, CANTHARA.

Error Getæ, qui putat Psaltriam ad Aeschinum pertinere. Ideoq; metuit herilem filium deseri.

NVnc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant,
Atq; huic malo salutem quærent, auxilij nihil afferent,
Quod mihiq;, heræq;, filiæq; herili est, væ misero mihi,
Tot res repentè circumuallant, vnde emergi non potest,
Vis, egestas, iniustitia, solitudo, infamia.
Hoccine scelus? ô scelera, ô genera sacrilega,
ô hominem impium.

Aliàs, impurum.

So. Me miseram, quidnam est, quod sic video timidum & properantem Getam?

Ge. Quem neq; fides, neq; iusiurandum, neq; illum misericordia
Repressit, neq; reflexit, neq; quod partus instabat propè,
Cui miseræ indignè per vim vitium obtulerat.

So. non intellego

Satis,

Satis, quæ loquatur. Ca. propius obsecro accedamus Sostrata. Ge. ah,
Me miserum, vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.
Nihil est, quod malim, quàm illam totam familiam dari mihi obuiam,
Vt iram hanc in eos euomam omnem, dum ægritudo hæc est recens:
Satis id mihi habeam supplicij, dum illos vlciscar modo.
Seni animam primùm extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus:
Tum autem Syrum impulsorem, vah, quibus illum lacerarem modis?
Sublimem medium arriperem, & capite primum in terram statuerem,
Vt cerebro dispergat viam:
Adolescenti ipsi eriperem oculos, posthac præcipitem darem:
Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & proslernerem. Iam.acat.
Sed cesso heram hoc malo impertiri properè.
So. reuocemus: Geta. Trochaic.
Ge. Hem, quisquis es, sine me. So. ego sum Sostrata.
Ge. vbi ea est? teipsam quærito:
Te expecto, oppido opportunè te obtuliisti mihi obuiam

Hera

Hera. So. quid est? quid trepidas? Ca. hei mihi. So. quid festinas mi Geta?
Animum recipe. Ge. prorsus. So. quid istuc prorsus ergo 'st? G. perimus:
Actum 'st. So. eloquere obsecro, quid siet. G. iam. So. quid iam Geta?
G. Aeschinus. So. quid ergo is? G. alienus est ab nostra familia. So. hem,
Perij, quare? G. amare occepit aliam. So. væ misere mihi.
G. Neq; id occultè fert, à lenone ipsus eripuit palam.
So. Satin' hoc certò? G. certè, hisce oculis egomet vidi Sostrata. So. ah,
Iam. tetra. acatalect. Me miseram, quid credas iam? aut cui credas? nostrumne Aeschinum,
Nostram vitam omnium, in quo nostræ spes opesq; omnes sitæ
Erant, qui sine hac iurabat se vnum nunquam victurum diem,
Qui se insui gremio positurum puerum dicebat patris,
Ita obsecraturum, vt liceret sibi hanc vxorem ducere.
G. Hera, lacrumas mitte: ac potius, quod ad hanc rem opus est, porrò consule.
Patiamurne, an narremus cuipiam? Ca. au, au mi homo, sanus ne es?

An proferendum hoc tibi videtur vsquam esse? Ge. mihi quidem non placet.
Iamprimùm illum alieno animo à nobis esse, res ipsa indicat.
Nunc si hoc palàm proferemus, ille inficias ibit, sat scio,
Tua fama & gnatæ vita in dubium venit, tum si maxumè (dari.
Fateatur:, cùm amet aliam, non est vtile hanc illi
Quapropter quoquo pacto cælato est opus. So. ah, minimè gentium:
Non faciam. G. quid agis? So. proferam. G. hem, mea Sostrata vide, quam rem agas.
So. Peiore res loco esse non potest, quàm in quo nunc sita est.
Primùm, indotata est: tum præterea, quæ secunda ei dos erat,
Perijt, pro virgine dari nuptum non potest: hoc reliquom 'st, (ferat.
Si inficias ibit, testis mecum est annulus, quem ami-
Postremò, quando ego conscia mihi sum, à me culpam esse hanc procul.
Neq; precium, neq; rem illam interceßisse, illam aut me indignam, Geta
Experiar. Ge. quid istic? accedo, vt melius dicas. So. tu, quantum potes,
Abi, atq; Hegioni cognato huius rem narrato omnem ordine:

Nam is nostro simulo fuit summus, & nos coluit maxumè.
Ge. Nam hercle alius nemo respicit nos. So. propera: tu mea Canthara,
Curre, obstetricem accerse, vt, cùm opus sit, ne in mora nobis siet.

ACTVS III. SCENA III.

DEMEA, SYRVS.

Error Demeæ, qui falsissimè ridetur à seruulo.

Disperiì: Ctesiphonem audiui filium
Vnà affuisse in raptione cum Aeschino.
Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicui rei est, etiam eum ad nequitiã abducere.
Vbi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquò: persuasit ille impurus, sat scio.
Sed eccum Syrum ire video: hinc scibo iam, vbi siet.
Atq; hercle hic de grege illo est: si me senserit
Eum quæritare, nunquam dicet carnufex.
Non ostendam me id velle.
Sy. Omnem rem modo seni,
Quo pacto haberet, enarremus ordine.
Nihil quicquam vidi lætius. De. proh Iuppiter
Hominis stulticiam. Sy. collaudauit filium:
Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.
De. Disrumpor. Sy. argentum annumerauit illicò:
Dedit præterea in sumptum dimidium minæ:
Id distributum sane est ex sententia. De. hem,
Huic mandes, si quid recte curatum velis?

Sy. Ehem

Sy. Ehem Demea, haud aspexeram te: quid agitur?
De. Quid agatur? vostram nequeo mirari satis
Rationem. Sy. est hercle inepta, vel dicam dolo, atq;
Absurda, pisces cæteros purga Dromo:
Congrum istum maximum in aqua sinito ludere
Paulisper: vbi ego venero, exossabitur:
Prius nolo. De. hæccine flagitia? Sy. mihi quidem non placent:
Et clamo sæpe, salsamenta hæc Stephanio
Fac macerentur pulchrè. De. Dij vostram fidem,
Vtrum studióne id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? væ misero mihi,
Videre videor iam diem illum, cùm hinc egens
Profugiet aliquò militatum. Sy. ô Demea,
ISTVC est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt, (est?
Prospicere. De. quid? istæc iam penes vos Psaltria
Sy. Ellam intus. De. eho, an domi est habiturus?
Sy. credo, vt est
Dementiæ. De. hæccine fieri? Sy. inepta lenitas
Patris, & facilitas prava. De fratris me quidem
Pudet, pigetq;. Sy. nimium inter vos Demea,
Ac non, quia ades præsens, dico hoc, pernimium interest.
Tu, quantus quantus nihil nisi sapientia es:
Ille futilis, somnium fineres vero tu illum tuum
Facere hæc? De. finerem istum? an non sex totis mensibus

Prius olfeciſſem, quàm ille quicquam cœperat?
Sy. Vigilantiam tuam mihi narras? De. ſic ſiet
Modo, vt nunc eſt quæſo. Sy. vt quiſq; ſuum volt
esſe, ita eſt.
De. Quid eum? vidiſtin' hodie? Sy. tuumne filium?
De. Abigam hunc rus. Sy. iamdudum aliquid ruri
agere arbitror.
De. Satin' ſcis ibi eſſe? Sy. oh, qui egomet produxi.
De. optumè eſt,
Metuò, ne hæreret hîc. Sy. atq; iratum admodum.
De. Quid autem? Sy. adortus iurgio fratrem apud
forum
De Pſaltria iſtac. De. ain' vero? Sy. vah, nihil re-
ticuit:
Nam, vt numerabatur forte argentum, interuenit
Homo de improuiſo: cœpit clamare, Aeſchine,
Hæccine flagitia facere te? hæc te admittere
Indigna genere noſtro? De. oh, lacrumo gaudio.
Sy. Non tu hoc argentum perdis, ſed vitam tuam.
D. Saluos ſit: ſpero, & ſimilis maiorũ ſuũm. Sy. hui.
De. Syre, præceptorum plenus iſtorum ille. Sy. phy,
Domi habuit, vnde diſceret. De. fit ſedulò:
Nihil prætermitto: conſuefacio: deniq;
Inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium
Iubeo, atq; ex alijs ſumere exemplum ſibi:
Hoc facito. Sy. rectè ſane. De. hoc fugito. Sy. callide.
De. Hoc laudi eſt. Sy. iſtæc res eſt. De. hoc vitio
datur.

Sy. Pro-

Sy. Probiſſime. De. perro autem. Sy. non hercle
ocium eſt
Nunc mihi auſcultandi: piſceis ex ſententia
Natus ſum: hi mihi ne corrumpantur, cautio eſt:
Nam id nobis tam flagitium 'ſt, quàm illa Demea
Non facere vobis, quæ modo dixti: & quod queo,
Conſeruis ad eundem iſtuc præcipio modum.
Hoc falſum 'ſt, hoc aſtutum 'ſt, hoc lautũ 'ſt parum:
Illud rectè, iterum ſic mementote: ſedulò
Moneo, quæ poſſum pro mea ſapientia:
Poſtremò, tanquam in ſpeculum, in patinas Demea
Inſpicere iubeo, & moneo, quid facto vſus ſiet.
Inepta hæc eſſe, nos quæ facimus, ſentio:
Verùm quid facias? vt homo eſt, ita morem geras.
Nunquid vis? De. mentem vobis meliorem dari.
Sy. Tu rus hinc ibis? D. recte. S. nam quid hic agas,
Vbi, ſi quid bene præcipias, nemo obtemperat?
De. Ego verò hinc abeo, quando is, quamobrem huc
veneram,
Rus abijt: illum curo vnum, ille ad me attinet.
Quando ita volt frater, de iſtoc ipſe viderit.
Sed quis illic eſt, procul quem video? eſtne Hegio
Tribulis noſter? ſi ſatis cerno, is hercle eſt: vah,
Homo amicus nobis iam inde à puero. Dij boni,
Næ illiuſmodi iam nobis magna ciuium
Penuria eſt, homo antiqua virtute, ac fide.
Haud citò mali quid ortum ex hoc ſit publicè.
Quàm gaudeo, vbi etiam huius generis reliquias

Restare video. vah, viuere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hîc, vt salutem, & colloquar.

ACTVS III. SCENA IIII.

HEGIO, GETA, DEMEA, PAMPHILA.

Senarij, Iambici.

PRoh Dij immortales, facimus indignum, Geta,
Quid narras? Ge. sic est factum. He. ex illane familia
Tam illiberale facinus esse ortum? ô Aeschine
Pol haud paternum istuc dedisti. De. videlicet
De Psaltria hac audiuit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is nihili pendit. hei mihi,
Vtinam hîc propè adesset alicubi, atq; audiret hæc.
He. Ni facient, quæ illos æquom 'st, haud sic auferent.
Ge. In te spes omnis Hegio nobis sita est: (rem.
Te solum habemus: tu es patronus, tu parens:
Ille tibi moriens nos commendauit senex,
Si deseris tu, perijmus. He. caue dixeris:
Neq; faciam, neq; me satis piè posse arbitror.
De. Adibo. saluere Hegionem plurimum
Iubeo. He. oh, te quærebam ipsum, salue Demea.
De. Quid autem? He. maior filius tuus Aeschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neq; boni,
Neq; liberalis functus officium est viri.
De. Quid istuc? He. nostrum amicum noras simulũ.
Atq; æqualem? De. quid ni? H. filiam eius virginem
Vitiauit. De. hem? He. mane, nondum audisti Demea

Narratio, in qua Hegio exponit Demeæ, Aeschinũ obtulisse iniciũ virgini ingenuæ.

Quod

Quod est grauissimum. De. an quicquam est etiam amplius?
He. Vero amplius: nam hoc quidem ferendum aliquo modo est:
Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia:
Humanum 'st. vbi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipsus vltrò, lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, iurans, se illam ducturum domum.
Ignotum 'st, tacitum 'st, creditum 'st. virgo ex eo
Compressu grauida facta est: mensis hic decimus est.
Ille bonus vir nobis Psaltriam (si Dijs placet)
Parauit, qui cum viuat, illam deserat.
De. Pro certon' tu istæc dicis? He. mater virginis
In medio est, ipsa virgo, res ipsa, hic Geta
Præterea, vt captus est seuolorum, non malus,
Neq; iners, alit illas, solus omnem familiam
Sustentat: hunc abduce, vinci: quære rem.
Ge. Immò hercle extorque, nisi ita factum 'st Demea.
Postremò non negabit: coram ipso cedo.
De. Pudet, nec quid agam, neq; quid huic respondeam
Scio. Pam. miseram me, differor doloribus.
Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro. He. hem,
Nummam illa quæso parturit? Ge. certè Hegio.
He. hem,
Illæc fidem nunc vostram implorat Demea:
Quod vos ius cogit, id voluntate impetret.

Hæc primùm vt fiant, Deos quæso, vt vobis decet:
Sin aliter animus vester est, ego Demea
Summa vi defendam hanc, atq; illum mortuum.
Cognatus mihi erat: vnà à pueris paruoli
Simus educti: vnà semper militiæ, & domi
Fuimus: paupertatem vnà pertulimus grauem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, deniq;
Animam relinquam potius, quàm † illas deseram.
Quid mihi respondes? De. fratrem conueniam Hegio:
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
He. Sed Demea, hoc tu facito, cùm animo cogites,
Quàm vos facillimè agitis, quàm estis maximè
Potentes, dites, fortunati, nobiles:
Tam maximè vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.
De. Redito: fient, quæ fieri æquom 'st, omnia.
He. Decet te facere: Geta, duc me intrò ad Sostratã.
De. Non me indicente hæc fiunt: vtinam hoc sit modo
Defunctum: verùm nimia illæc licentia
Profectò euadet in aliquod magnum malum.
Ibo, re quiram fratrem, vt in eum hæc euonam.
Ge. Bono animo fac sis Sostrata, & istã, quod potes,
Fac consolere. ego Mitionem, si apud forum 'st,
Conueniam, atq; vt res gesta est, narrabo ordinè:
Si est, facturus vt sit officium suum,
Faciat: sin aliter de hac re est eius sententia,
Respon-

Aliâs, illam.

Respondeat mihi, vt, quid agam, quamprimum sciam.

ACTVS IIII. SCENA I.

Iambici quadrati acatalectici, vno aut altero Trochaico catalectico mixto, Dimeter vnus Iambicus.

CTESIPHO, SYRVS.

AIn' patrem hinc abijsse rus? Sy. iamdudum. Ct. dic sodes. Sy. apud
Villam est, nunc eam maximè operis aliquid facere credo. Ct. vtinam quidem.
Quod cum salute eius fiat, ita se defatigarit velim,
Vt triduo hoc perpetuo prorsum è lecto, nequeat surgere.
Sy. Ita fiat, & istoc si quid potis est, rectius. Ct. ita: nam hunc diem
Miserè nimis cupio, vt cœpi, perpetuum in lætitia degere:
Et illud rus nulla alia caussa tam malè odi, nisi quia
Propè 'st: quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quàm huc reuorti posset iterum.
Nunc vbi me illic non videbit, iam huc recurret sat scio:
Rogabit me vbi fuerim: quem ego hodie toto non vidi die:

Quid dicam? Sy. nihilne in mente est? Ct. nunquam quicquam. Sy. tanto nequior?
Cliens, amicus, hospes, nemo est nobis? Ct. sunt, quid postea?
Sy. Hisce opera vt data sit. Ct. quæ non data sit? non potest fieri. Sy. potest.
Ct. Interdiu: sed si hîc pernocto, caussæ quid dicam Syre?
Sy. Vah, quàm vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulchrè calleo
Cum ferit maximè, tam placidum, quàm ouem, reddo. Ct. quo modo?
Sy. Laudarier te audit lubenter: facio te apud illum Deum:
Virtutes narro. Ct. meas? Sy. tuas, homini illicò lachrumæ cadunt,
Quasi puero, gaudio. Hem tibi autem. Ct. quidnam est? Sy. LVPVS in fabula.
Ct. Pater adest? Sy. ipsu' 'st. Ct. Syre quid agimus? Sy. fuge modò intrò, ego videro.
Ct. Si quid rogabit, nusquam tu me: audistin'? Sy. potin' vt desinas?

ACTVS IIII. SCENA II.

Trochaici quadrati acatalectici, vnus denarius, paucis iambicis immixtis.

DEMEA,

DEMEA, CTESIPHO, SYRVS.

NAE ego homo sum infelix. primùm fratrem nusquam inuenio gentium:
Præterea autem dum illum quæro, à villa mercenarium
Vidi: is filium negat esse ruri, nec quid agam scio.
Ct. Syre. Sy. quid ais? Ct. men' quæsiit? Sa. verum. Ct. perij. Sy. quin tu animo bono es.
De. Quid hoc (malum) infelicitatis? nequeo satis decernere:
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis.
Primus sentio mala nostra: primus resciscо omnia.
Primus porrò obnuncio, ægre solus, si quid fit, fero.
Sy. Rideo hunc: primùm ait se scire, nos solus nescit omnia.
De. Nunc redeo, si forte frater redierit, viso. Ct. Syre.
Obsecro vide, ne ille huc prorsus se irruat. Sy. etiam taces?
Ego cauebo. Ct. nunquam hercle ego hodie istuc committam tibi,
Nam me iam in cellam aliquam cum illa concludam, id tutissimum 'st.
Sy. Age, tamen ego hunc amouebo. De. sed eccum sceleratum Syrum.
Sy. Non hercle hîc quidem durare quisquam, si sic fit, potest.

Scire

Scire equidem volo, quot mihi sint domini. quæ hæc est miseria?

De. Quid ille gannit? quid volt? quid ais bone vir? est frater domi?

Sy. Quid (malum) bone vir mihi narras? equidem perij. De. quid tibi est?

Sy. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, & istam Psaltriam

Vsq; occidit. De. hem, quid narras? Sy. hem, vide vt discidit labrum.

De. Quamobrem? Sy. me impulsore hanc emptam esse ait. De. non tu eum rus hinc modo

Produxe aiebas? Sy. factum: verùm venit pòst insaniens.

Nihil peperc̃t. non puduisse verberare hominem senem,

Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestaui meis?

De. Laudo Ctesipho: patrissas: abi, virum te iudico.

Sy. Laudas? næ ille continebit posthac, si sapiet, manus.

De. Fortiter. Sy. perquam. quia miseram mulierem, & me seruolum,

Qui referire non audebam, vicit: hui, perfortiter.

De. Non potuit melius: idem quod ego sensit, te esse huic rei caput.

Sed estne frater intus? Sy. non est. De. vbi illum quæram, cogito.

Sy. Scio

Sy. Scio vbi sit, verùm hodie nunquam monstrabo.

De. hem, quid agis? Sy. ita.

De. Diminuetur tibi quidem iam cerebrum. Sy. at nomen nescio

Illius hominis, sed locum noui vbi sit. De. dic ergo locum.

Sy. Nostin' porticum apud macellum hoc deorsum? De. quidni nouerim?

Sy. Præterito hac recta platea sursũ: vbi eò veneris,

Cliuos deorsum vorsum est: hac te præcipitato: postea

Est ad hanc manum sacellum: ibi angiportum propter est.

De. Quónam? Sy. illic, vbi etiam capprificus magna est, nostin'? De. noui. Sy. hac pergito.

De. Id quidem angiportum non est perũum.

Sy. verum hercle, vah,

Censen' hominem me esse? erraui, in porticum rursum redi.

Sane hac multo propius ibis, & minor est erratio.

Scin' Cratini huius ditis ædes? De scio. Sy. vbi eas præterieris,

Ad sinistram hac recta platea: vbi ad Dianæ veneris,

Ito ad dextram: prius, quàm ad portam venias, apud ipsum laucum

Est pistrilla, & ex aduorsum fabrica: ibi est. De. quid ibi facit?

Sy. Lectu-

Sy. Lectulos in sole ligneis pedibus faciundos dedit,
Vbi potetis vos. De. sane bene: sed cesso ad eum pertingere.
Sy. I, sane ego te exercebo hodie, vt dignus es, filicernium.
Aeschinus odiosè cessat: prandium corrumpitur:
Ctesipho autem in amore est totus, ego iam prosticiam mihi:
Nam iam adibo, atq; vnum quidq;, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, & cyathos sorbillans, paulatim hunc producam diem.

Parasceue ad Catastrophen, in qua moderatione & lenitate Mitionis omnes turbæ sedantur. Ordi-tur autem hic ab humanissima ratione officij, non deriuans crimen in alios, vt fieri vulgo solet.

ACTVS IIII. SCENA III.

MITIO, HEGIO.

Quadrati iambici & trochaici.

EGO in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere Hegio.
Meum officium facio: quod peccatum à nobis ortum est, corrigo:
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant,
Sibi fieri iniuriam, vltrò si quam fecêre ipsi, expostulant,
Et vltrò accusant: id quia non est à me factum, agis gratias.
He. Ah, minimè: nunquam te aliter, atq; es, in animum induxi meum.

Sed

Sed quæso, vt vnà mecum ad matrem virginis eas Mitio,
Atq; istæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri,
Suspicionem hanc propter fratrem eius esse, & illam Psaltriam.
Mi. Si ita æquom censes, aut si ita opus est facto, eamus. He. bene facis:
Nam & illi animum iam reuelabis, quæ dolore, ac miseria
Tabescit, & tuo officio fueris functus: sed si aliter putas,
Egomet narrabo, quæ mihi dixti. Mi. Immò ego ibo. He. bene facis:
OMNES, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quo modo Trochaic. catalect.
Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis.
Propter suam impotentiam, se semper credunt negligi.
Quapropter teipsum purgare ipsis coram, placabilius est.
Mi. Et recte, & verum dicis. He. sequere me ergo hac intrò. Mi. maximè.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

Iambici quadrati acatalectici. Senarius vnus. Scazon. Trochaici acatalectici quadrati.

AESCHI-

AESCHINVS.

Querela in qua commemorat Aeschinus, quid ipse proprium habeat in hoc fratris negocio periculum. Et quærit moderatus adolescens, quomodo ei periculo medeatur.

DIscrutior animi, hoccine de improuiso mali mihi obijci
Tantum, vt neq; quid me faciam, neq; quid agam certum siet?
Membra metu debilia sunt: animus timore obstupuit:
Pectore consistere nihil consilij quit, vah, quomodo
Me ex hac expediam turba? tanta? nunc de me suspicio
Incidit, neq; ea immeritò: Sostrata credit mihi me Psaltriam hanc
Emisse: id anus mihi indicium fecit.
Nam vt hinc forte ea ad obstetricem erat missa, vbi vidi, illicò
Accedo, rogito, Pamphila quid agat, iamne partus adsiet,
Eóne obstetricem accersat: illa exclamat, abi, abi iam Aeschine,
Satis diu verba dedisti nobis: satis adhuc tua frustrata est fides,
Hem, quid istuc obsecro inquam? est? valeas, habeas illam quæ placet.
Sensi illicò id illas sufficari: sed me repressi tamen,
Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palàm.
Nunc quid faciam? dicam fratris esse hanc? quod minimè est opus

Vsquam efferri: age, mitto, fieri potis est, vt ne quæ exeat.
Ipsum id metuo vt credat: tot concurrunt verisimilia:
Egomet rapui, ipse egomet solui argentum, ad me abducta est domum.
Hæc adeo mea culpa fateor fieri: non me hanc rem patri,
Vt vt erat gesta, indicasse: exorassem, vt eam ducerem:
Cessatum vsq; huc est: nunc porrò Aeschine expergiscere:
Num hoc primum est: ad illas ibo, vt purgem me: accedam ad fores:
Perij, horresco semper, vbi pultare hosce occipio miser.
Heus, heus, Aeschinus ego sum, aperite aliquis actutum ostium.
Prodit nescio quis, concedam huc.

Versus perficitur proxima scena.

ACTVS IIII. SCENA V.

Iambici quadrati acatalectici & catalectici. Dimeter vnus, cæteri Trochaici quadrati catalectici iambici senarij.

MITIO, AESCHINVS.

ITa vt dixi Sostrata
Facite: ego Aeschinum conueniam, vt, quomodo acta hæc sint, sciat.

Casu & Mitionis humanitate liberatur periculo Aeschinus.

Sed quid ostium hoc pultauit? Ae. pater hercle est: perij. Mi. Aeschine,
Ae. Quid huic hic negoci est? Mi. tune has pepulisti fores?
Tacet, cur non ludo hunc aliquantisper? melius est,
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.
Nihil mihi respondes? Ae. non equidem istas, quod sciam.

Sed primũ facetè ludit Mitio, Vt extorqueat Aeschino cõfessionem amoris, ac plurimum gratiæ addit fabulæ, Aeschini error.

(Ita, prima pertinet ad versũ præcedentẽ.)
Mi. Itan'? nam mirabar quid hic negoci esset tibi,
Erubuit: salua res est. Ae. dic sodes pater,
Tibi verò quid istic est rei? Mi. nihil mihi quidem.
Amicus quidam me à foro abduxit modo
Huc aduocatum sibi. Ae. quid? Mi. ego dicam tibi.
Habitant hic quædam mulieres paupercule,
Vt opinor has non nosse te, & certò scio:
Neq; enim diu huc commigrarunt. Ae. quid tum postea?
Mi. Virgo est cum matre. Ae. perge. Mi. hæc virgo orba est patre:
Hic meus amicus illi genere est proxumus:
Huic leges cogunt nubere hanc. Ae. perij. Mi. quid est?
Ae. Nihil, recte: perge. Mi. is venit, vt secum auehat:
Num habitat Mileti. Ae. hem, virginem vt secum auehat?

Mi. Sic

Mi. Sic est. Ae. Miletum vsq; obsecro. Mi. ita. Ae. animo male 'st,
Quid ipse? quid aiunt? Mi. quid istas censes? nihil enim.
Commenta mater est, esse ex alio viro
Nescio quo puerum natum, neq; eum nominat?
Priorem esse illum, non oportere huic dari,
Ae. Eho, nónne hæc iusta tibi videntur postea?
Mi. Non. Ae, obsecro non? an illam hinc abducet pater?
Mi. Quid ni illam abducat? Ae. factum à vobis diuiter,
Immisericorditerq;, atq; etiam, si est pater
Dicendum magis aperte, illiberaliter.
Mi. Quamobrem? Ae. rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui cum illa consueuit prius,
(Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat)
Cum hanc sibi videbit præsens præsenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum pater.
Mi. Qua ratione istuc? quis respondit? quis dedit?
Cui quando nupsit? author his rebus quis est?
Cur duxit alienam? Ae. an sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc
Illinc veniret expectantem? hæc mi pater
Te dicere æquom fuit, & id defendere.
Mi. Ridiculè, aduorsumne illam causſam dicerem,
Cui veneram aduocatus? sed quid ista Aeschine

Trochaic. quadrat. catalect.

Nostra: aut quid nobis cum illis? abeamus. quid est?
Quid lacrumas? Ae. pater obsecro, ausculta.
Mi. Aeschine, audiui omnia,
Et scio: nam te amo, quo magis, quæ agis, curæ sunt mihi.
Ae. Ita velim me promerentem ames, dum viuas mi pater.
Vt me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. Mi. credo hercle: nam ingenium noui tuum
Liberale: sed vereor ne indiligens nimium sies.
In qua ciuitate tandem te arbitrare viuere?
Virginem viciasti, quam te ius non fuerat tangere:
Iam id peccatum primum magnum, at humanum tamen.
Fecêre alij sæpe, item boni, at postquam id euenit, cedo,
Nunquid circumspexti? aut nunquid tutè prospexti tibi.
Quid fieret? qua fieret? si teipsum mihi pudùit dicere,
Qua resciscerem: hæc dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti te, atq; illam miseram & gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos Deos?
Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductam domum?

Vide œconomiam: Prius agnoscit culpam adolescens, postea obiurgatio humanitatis plenissima & digna grauitate Mitionis: Continet enim argumentum ab honesto sumptum, videlicet à ciuitate, in qua ciuitate tandem, &c.

Nolim cæterarum rerum te socordem eodem modo.
Bono animo es, duces vxorem hanc. Ae. hem.
Mi. bono animo es, inquam. Ae. pater,
Obsecro num ludis tu nunc me? Mi. ego te? quamobrem? Ae. nescio.
Nisi, quia tam miserè hoc esse cupio verum, eò vereor magis.
Mi. Abi domum, ac Deos comprecare, vt vxorem accersas: abi.
Ae. Quid? iamne vxorem? Mi. iam. Ae. iam? Mi. iam quantum potest. Ae. Dij me pater
Omnes oderint, ni magis te, quàm oculos nunc ego amo meos.
Mi. Quid? quam illam? Ae. æquè. Mi. perbenignè. Ae. quid? ille vbi est Milesius?
Mi. Abijt, perijt, nauem ascendit: sed cur cessas? Ae. abi pater,
Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos certè scio,
Quo vir melior multo es quàm ego, obtemperaturos magis,
Mi. Ego eo intrò, vt, quæ opus sunt, paretur: tu fac vti dixi, si sapis.
Ae. Quid hoc est negoci? hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse?
Si frater aut sodalis esset, qui magis morem gereret?
Hic non amandus? hiccine gestandus in sinu? est hem.

Iam quadrat acat. Epiphonema. Iamb cat. scazon.

Itaq; adeo magnum mihi iniecit sua commoditas curam,
Trochaic. catalect. Ne forte imprudens faciam, quod nolit, sciens cauebo:
Sed cesso ire intrò, ne mora meis nuptijs egomet siem.

ACTVS IIII. SCENA VI.

DEMEA.

Senarij. Defessus sum ambulando: vt Syre te cum tua
Monstratione magnus perdat Iuppiter.
Facèta antithesis: opponit enim iam Demeæ asperitatem ijs, quæ supra humanissimè à Mitione facta sunt, vt Mitio reddat rationem sui consilij, ne indulgens potius quàm moderatus videretur. Perreptaui vsq; omne oppidum: ad portam, ad lacum,
Quò non? neq; fabrica illic vlla erat, neq; fratrem homo
Vidisse aiebat quisquam, nunc verò domi
Certum obsidere est, vsq; donec redierit.

ACTVS IIII. SCENA VII.

MITIO, DEMEA.

Senarij.

Ibo, illis dicam nullam esse in nobis moram.
De. Sed eccum ipsum, te iamdudum quæro Mitio.
Mi. Quidnam? De. fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. Mi ecce autem. De. noua,
Capitalia. Mi. ohe, iam. De. ah, nescis qui vir sit?
Mi. scio.
De. Ah, stultè tu de Psaltria me somnias agere.
Hoc peccatum est in virginem ciuem. Mi. scio.
De. Eho, scis & patere? Mi. quid ni patiar?
De. dic mihi,

Non clamas? non insanis? Mi. non malim quidem,
De. Puer natus est. Mi. Dij bene vortant. De. virgo nihil habet.
Mi. Audiui. De. & ducenda indotata est? Mi. scilicet.
De. Quid nunc futurum est? Mi. id enim, quod res ipsa fert:
Illinc huc transfertur virgo. De. ô Iuppiter,
Istoccine pacto oportet? Mi. quid faciam amplius?
De. Quid facias? si non ipsa re tibi istuc dolet,
Simulare certè est hominis. Mi. quin iam virginem
Despondi: res composita est: fiunt nuptiæ:
Demsi metum omnem: hæc magis sunt hominis.
De. cæterum,
Placet tibi factum Mitio? Mi. non, si queam
Mutare: nunc, cùm non queo, æquo animo fero.
ITA vita est hominum, quasi cùm ludas tesseris.
Si illud, quod maximè opus est, iactu non cadit:
Illud, quod cecidit forte, id arte vt corrigas.
De. Corrector: nempe tua arte viginti minæ,
Pro Psaltria periere: quæ, quantum potest,
Aliquò abijcienda est, si non precio, at gratijs.
Mi. Neq; est, illam sanè studeo vendere
De. Quid igitur facies? Mi. domi erit. De. proh Diuùm fidem,
Meretrix, materfamilias erit vnà in domo?
Mi. Cur non? De. saniumne te credis esse? Mi. equidem arbitror.

De. Ita me Dij ament, vt video ego tuam ineptiam
Facturum credo, vt habeas quì cum cantites.
Mi. Cur non? De. & noua nupta eadem hæc discet.
Mi. scilicet.
De. Tu inter eas restim ductans saltabis. Mi. probè.
Et tu nobiscum vnà, si opus sit. De. hei mihi,
Non te hæc pudent? Mi. iam verò omitte Demea
Tuam istam iracundiam, atq; ita vti decet,
Hilarem, ac lubentem fac te in nati nuptijs.
Ego hos conueniam, pòst huc redeo. De. ô Iuppiter,
Hanccine vitam? hoscine mores? hanc dementiam?
Vxor sine dote veniet: intus Psaltria est:
Domus sumptuosa: adolescens luxu perditus:
Senex delirans: ipsa, si cupiat, Salus,
Seruare prorsus non potest hanc familiam.

ACTVS V. SCENA I.

SYRVS, DEMEA.

Senarij.

ÆDepol Syrisce te curasti molliter,
Lauteq; munus administrasti tuum:
Abi, sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc lubitum est. De. illud sis vide
Exemplum disciplinæ. Sy. ecce autem hìc adest senex
Noster, quid fit? quid tu es tristis? De. ohe scelus.
Sy. Eho iam tu verba fundes hìc sapientia?
De. Tun' si meus esses. Sy. dis quidem esses Demea,
Ac tuam rem constabilisses. De. exemplum omnibus
Curarem,

Curarem, vt esses. Sy. quamobrem? quid feci?
De. rogas?
In ipsa turba, atq; in peccato maximo,
Quod vix sedatum satis est, potasti scelus,
Quasi re bene gesta. Sy. sane nollem huc exitum.

ACTVS V. SCENA II.

DROMO, SYRVS, DEMEA.

HEus Syre, rogat te Ctesipho vt redeas. Senarij.
Sy. abi.
De. Quid Ctesiphonem hic narrat? Sy. nihil.
De. eho carnufex,
Est Ctesipho intus? Sy. non est. De. cur hic nominat?
Sy. Est alius quidam parasitaster paruolus,
Nostin'? De. iam scibo. Sy. quid agis, quò abis?
De. mitte me.
Sy. Noli inquam. De. non manum abstines mastigia?
An tibi mauis cerebrum dispergi hìc? Sy. abijt.
Aedepol commessatorem haud sane commodum,
Præsertim Ctesiphoni. quid ego nunc agam?
Nisi, dum hæ filescunt turbæ, interea in angulum
Aliquò abeam, atq; edormiscam hoc villi? sic agam.

ACTVS V. SCENA III.

MITIO, DEMEA.

PArata à nobis sunt, ita vt dixi, sostrata Senarij.
Vbiuis. quisnam à me pepulit tam grauiter fo-
res?

 De. Hei

Epitasis negotij Ctesiphonis, in qua primum expostulat Demea cũ Mitione, deinde Mitio honestas causas suæ lenitatis recenset, ne temerè indulgens vi deatur.

De. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem? aut querar?
O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni. Mi. hem tibi,
Resciuit omnem rem: id nunc clamat, ilicet,
Paratæ lites: succurrendum 'st. De. eccum adest
Communis corruptela nostrorum liberûm.
Mi. Tandem reprime iracundiam, atq; ad te redi.
De. Repressi, redij. mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus. dictum inter nos hoc fuit,
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Neue ego tuum, respondi. Mi. factum est, non nego.
De. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam Mitio? num qui minus
Mihi idem ius æquom 'st esse, quod mecum est tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
Mi. Non æquom dicis, non, nam vetus verbum hoc quidem est,
COMMVNIA esse amicorum inter se omnia.
De. Facetè, nunc demum istæc nata oratio est.
Mi. Ausculta paucis, nisi molestum 'st, Demea.
Principio, si id te mordet, sumptum filij
Quem faciunt, quæso facito, hæc tecum cogites,
Tu illos duos olim pro re tollebas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore,
Et me tum vxorem credidisti scilicet
Ducturum: eandem illam rationem antiquam obtine:
Conserua, quære, parce, fac quàm plurimum

Illis

Illis relinquas: gloriam tu istanc obtine:
Mea quæ præter spem euenere, vtantur sine.
De summa nihil decedet: quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse. omnia hæc si voles
In animo vere cogitare Demea,
Et mihi, & tibi, & illis demseris molestiam.
De. Mitto rem, consuetudinem ipsorum. Mi. mane:
Scio, istuc ibam, multa in homine Demea
Signa insunt, ex quibus coniectura facile fit,
DVO cùm idem faciant sæpe, vt possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod is, qui facit:
Quæ ego esse in illis video, vt confidam fore ita,
Vt volumus, videos sapere, intelligere in loco,
Vereri, inter se amare, scire est liberum
Ingenium, atq; animum. quo vis illos tu die
Reducas: at enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paulò ô noster Demea,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
SOLVM vnum hoc vicium affert senectus hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quàm sat est:
Quod illos sat ætas acuet. De. ne nimium modo
Bonæ tuæ istæ nos rationes Mitio,
Et tuus iste animus æquos subuortat. Mi. tace,
Non fiet. mitte iam istæc: da te hodie mihi:
Exporrige frontem. De. scilicet, ita tempus fert,
Faciundum 'st: cæterùm vos cras cum filio

Cum

cum prima luce ibo hinc. Mi. Immò de nocte censeo:
Hodie modo hilarem te face. De. & istam Psaltriam
Vna illuc mecum hinc abstraham. Mi. pugnaueris.
Eo pacto prorsum rursum illic alligaris filium.
Modo facito, vt illam serues. De. ego istuc videro:
Atq; illi fauillæ plena sumi, ac pulueris.
Coquendo sit faxo, & molendo: præter hæc
Meridie ipso, faciam, vt stipulam colligat:
Tam excoctam reddam, atq; atram, quàm carbo est.
Mi. placet.
Nunc mihi videre sapere. atq; equidem filium,
Tunc etiam si nolit, cogas, vt cum illa vnà cubet.
De. Derides? fortunatus, qui istoc animo sies:
Ego sentio. Mi. ah, pergisne? De. iam iam desino.
Mi. I ergo intrò, & cui rei est, ei rei hunc sumamus diem.

ACTVS V. SCENA IIII.

Trochaici quadrati acatalectici.

DEMEA.

Varietas delectat in fabulis. Ideo & Demea fingitur iam mutatus, sed ita vt sæpe natura recurrat.

NVnquam ita quisquam bene subducta ratione ad
ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vsus semper aliquid adportet nouì,
Aliquid moneat, vt illa, quæ te scire credas, nescias,
Et, quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.
Quod mihi nunc euenit: nam ego vitam duram,
quam vixi vsq; adhuc,

Propè

Propè iam excurso spacio mitto: id quamobrem? reipsa comperi
FACILITATE nihil homini esse melius, neq; clementia.
Id esse verum, ex me, atq; ex fratre cuiuis facile est noscere,
Ille suam semper egit vitam in ocio, in comiuijs:
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus.
Sibi vixit: sibi sumptum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agrestis, sæuus, tristis, parcus, truculentus, tenax:
Duxi vxorem, quam ibi miseriam vidi? nati filij,
Alia cura: porrò autem, dum studeo illis, vt quàm plurimum
Facerem, contriùi in quærendo vitam, atq; ætatem meam:
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero,
Odium. ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant, me fugitant, illi credunt consilia omnia,
Illum diligunt, apud illum sunt ambo, ego desertus sum.
Illum, vt viuat, optant, meam autem mortem expectant, scilicet,
Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paulo sumptu, miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.

Age

Age age, nunc experiamur contra hæc quid ego
posſiem,
Blandè dicere, aut benignè facere, quando eò pro-
uocat.
Ego quoq; à meis me amari, & magnipendi poſtulo.
Si id fit dando, aut obſequendo, non poſterioreis
feram.
Deerit, id mea minimè refert, qui ſum natu maximus.

ACTVS V. SCENA V.

SYRVS, DEMEA.

Senarij.

HEus Demea, rogat frater, ne abeas longius.
De. Quis homo? ô Syre noſter, ſalue, quid fit?
quid agitur?
Sy. Rectè. De. optumè eſt. iam nunc hæc tria pri-
mum addidi
Præter naturam. ô noſter, quid fit? quid agitur?
Seruom haud illiberalem præbes te, & tibi
Lubens bene faxim. Sy. gratiam habeo. De. atqui
Syre
Hoc verum'ſt, & ipſa re experiere propediem.

ACTVS V. SCENA VI.

GETA, DEMEA.

Senarij.

HEra, ego hinc ad vos prouiſam quàm mox vir-
ginem
Accer-

Accerſant. ſed eccum Demeam, ſaluos ſies.
De. Oh, qui vocare? Ge. Geta. De. Geta hominem
maxumi
Precij eſſe te hodie, iudicauì animo meo.
Nam is mihi eſt profectò ſeruus ſpectatus ſatis,
Cui dominus curæ eſt, ita vt tibi ſenſi Geta:
Et tibi ob eam rem, ſi quid vſus venerit,
Lubens bene faxim. meditor eſſe affabilis,
Et bene procedit. Ge. bonus es, cum hæc exiſtumas.
De. Paulatim plebem primulum facio meam.

ACTVS V. SCENA VII.

AESCHINVS, DEMEA, SY-
RVS, GETA.

OCcidant me quidem, dum nimis feſtas nu-
ptias
Student facere: in apparando conſumunt diem.
De. Quid igitur Aeſchines? Ae. hem pater mi, tu hîc
eras?
De. Tuus hercle verò & animo, & natura pater,
Qui te amat plus, quàm hoſce oculos: ſed cur non
(mihi
domum
Vxorem quæſo accerſis? Ae. cupio: verùm hoc
Mora eſt, tibicina, & hymenæum qui canat.
De. eho,
Vin' tu hûc ſenì auſcultare? Ae. quid? De. miſſa
hæc face,
Hymenæum, turbam, lampadas, tibicinas:

Atq; hanc in horto maceriam iube dirui,
Quantum potest, hanc transfer, vnam fac domum;
Traduce & matrem, & familiam omnem ad nos.
Ae. placet
Pater lepidissime. De. euge, iam lepidus vocor.
Fratri ædes fient peruiæ: turbam domum
Adducet, sumptum admittet: multa: quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam, iube nunc iam
Dinumeret illi Babylo viginti minas.
Syre, cessas ire, ac facere? Sy. quid ego? De. dirue
Tu illas: abi & traduce. Ge. Dij tibi Demea
Bene faciant, cùm te video nostræ familiæ
Tam ex animo velle. De. dignos arbitror.
Quid tu ais? Ae. sic opinor. De. multo rectius est,
Quàm illam puerperam hac nunc duci per viam
Aegrotam. Ae. nihil enim vidi melius mi pater.
De. Sic soleo: sed eccum Mitio egreditur foras.

ACTVS V. SCENA VIII.

MITIO, DEMEA, AESCHINVS.

Senarij.

IVbet frater? vbi is est? túne iubes hoc Demea?
De. Ego verò iubeo, & in hac re, & alijs omnib.
Quàm maximè vnam facere nos hanc familiam,
Colere, adiuuare, adiungere. Ae. ita quæso pater.
Mi. Haud aliter censeo. De. immò hercle ita nobis
decet.
Primùm huius vxoris est mater. Mi. quid postea?
De. Proba

De. Proba & modesta. Mi. ita aiunt. De. natu
grandior.
Mi. Scio. De. parere iam diu hæc per annos non
potest;
Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola est.
Mi. quam hic rem agit?
De. Hanc te æquom 'st ducere, & te operam vt fiat,
dare.
Mi. Me ducere autem? De. te. Mi. me? De. te in- Iam tetra.
quam. Mi. ineptis. De. si tu sis homo, acatalect.
Hic faciat. Ae. mi pater. Mi. quid? tu autem huic
asine auscultas? De. nihil agis:
Fieri aliter non potest. Mi. deliras? Ae. sine te exo-
rem mi pater.
Mi. Insanis? aufer. De. age, da veniam filio.
Mi. satin' sanus es?
Ego nouus maritus anno demum quinto & sexage-
simo
Fiam, atq; anum decrepitam ducam? id ne estis au- Trochaic.
tores mihi?
Ae. Fac, promisi ego illis. Mi. promisti autem? de
te largitor puer.
De. Age, quid, si quid te maius oret? My. quasi non
hoc sit maximum.
De. Da veniam. Ae. ne grauare. De. fac, promitte.
Mi. non omittis?
Ae. Non, nisi te vxorem. Mi. vis est hæc quidem. Iam. tetra.
De. age, prolixè Mitio.

Mi. Etsi hoc mihi prauom, ineptum, absurdum, atq; alienum à vita mea
Videtur: si vos tantopere istoc voltis, fiat. Ae. bene facis:
Meritò te amo. De. verùm, quid ego dicam? hoc cùm fit, quod volo.
Quid nunc quod restat? Hegio his est cognatus proxumus,
Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
Mi. Quid facere? De. agelli est hîc sub vrbe paululum, quod locitas foris:
Huic demus, qui fruatur. Mi. paululum id autem? De. si multum siet,
Faciundum est: pro patre huic est, bonus est, noster est, rectè datur.
Postremò non meum illud verbum facio, quod tu Mitio
Bene & sapienter dixti dudum, vicium commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus. hanc maculam nos decet
Effugere, dictum est verè, & reipsa fieri
Oportet. Mi. quid istuc? dabitur quidem, quando hic volt. Ae. mi pater.
De. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore & animo. Mi. gaudeo.
De. Suo sibi hunc gladio iugulo.

Fragmen-

Fragmentum, Trochaici catalectici quadrati, vltimus scazon.

SYRVS, DEMEA, MITIO, AESCHINVS.

FActum est, quod iussi Demea.
De. Frugi homo es. ego ædepol hodie mea quidem sententia
Iudico Syrum fieri esse æquom liberum. Mi. istunc liberum:
Quodnam ob factum? De. multa. Sy. ô noster Demea, ædepol vir bonus es:
Ego istos vobis vsq; à pueris curaui ambos sedulò,
Docui, monui, bene præcepi semper, quæ potui, omnia.
De. Res apparet, & quidem porro hæc, obsonare, cum fide
Scortum adducere, apparare de die conuiuium:
Non mediocris hominis hæc sunt officia. Sy. ô lepidum caput.
De. Postremò hodie in Psaltria istac emunda hic adiutor fuit,
Hic curauit: prodesse æquom est: alij meliores erunt:
Denique hic volt fieri. Mi. vin' tu hoc fieri? Ae. cupio. Mi. siquidem
Tu vis: Syre, eho accede huc ad me, liber esto. Sy. bene facis;

Omnibus gratiam habeo, & seorsum tibi, præterea Demea.
De. Gaudeo. Ae. & ego. Sy. credo: vtinam hoc perpetuum fiat gaudium,
Phrygiam vt vxorem meam, vnà mecum videam liberam.
In quidem fit cliſio. De. Optumam quidem mulierem. Sy. & quidem tuo nepoti huius filio
Hodie primam mammam dedit hæc. De. hercle vero seriò,
Siquidem prima dedit, haud dubium quin emitti æquom siet.
Mi. Ob eam rem? De. ob eam? postremò à me argentum, quanti est, sumito.
Sy. Dij tibi Demea omnes semper omnia optata asferant.
Mi. Syre, proceßisti hodie pulchrè. De. siquidem porro Mitio,
Tu tuum officium facies, atq; huic aliquàd paululum præ manu
Dederis, vnde vtatur. reddet tibi citò. Mi. istoc vilius.
Ae. Frugi homo est. Sy. reddam hercle, da modo. Ae. age pater. Mi. post consulam.
De. Faciet. Sy. ô vir optume. Ae. ô pater mi festiuissime.
Mi. Quid istuc? quæ res tam repentè mores mutauit tuos?

Quod

Quod proluuium? quæ istæc subita est largitas? De. dicam tibi:
Vt id ostenderem, quod te isti facilem, & festiuum putant,
Id non fieri ex vera vita, neq; adeo ex æquo & bono,
Sed ex assentando, indulgendo & largiendo Mitio.
Nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita inuisa Aeschine est,
Quia non iusta iniussa prorsus omnia omninò obsequor:
Missa facio, effundite, emite, facite, quod vobis libet.
Sed si id voltis potius, quæ vos propter adolescentiam
Minus videtis, magis impensè cupitis, consulitis parum,
Hæc reprehendere, & corrigere me, & obsecundare in loco:
Ecce me, quid id faciam vobis. Ae. tibi pater permittimus:
Plus scis, qui opus facto est. sed de fratre quid fiet? De. sino,
Habeat, in istac finem faciat. Ae. istuc rectè.
Plaudite.

Riuius legit proluuium ex Donato, ex quo sibi prompsit animus. Sed Marcellus legit proluuium, quod est profusio.

CALLIOPVS RECENSVI.

ARGVMENTVM PHILIPPI MELANTHONIS IN HECYRAM.

PROTHASIS.

VXorem duxit Pamphilus, cùm Bachidis meretriculæ amore tantopere teneretur, vt duobus mensibus vxorem ne attingeret quidem. Postea per consuetudinem animus victus est, cœpit placere vxor. Porrò cùm ipse peregrè abesset, illa domum redit ad matrem, atq; ibi parit mense septimo, postquam nupsisset Pamphilo: Eam rem cælat & affines & patrem anus. Vbi Pamphilus tedit, comperit eam peperisse. Hic grauitet adeo commouetur, cùm aliunde concepisse existimaret: Et cum per sese dolet res Pamphilo (amabat enim mulierculam) tum molestum est ab ea diuelli, neq; enim honestum erat reducere. Periclitatur itaq; Pamphilus, quomodo honestè dimittat vxorem, neue illius peccatum proderet. Hæc fabulæ prothasis est.

EPITASIS.

Instant pater & socer, inscij quid accidisse, vt domum reducat, præsertim, cùm nec

nec socrus, nec mater, id quod senes falsò suspicati fuerant, obstarent. Quanquam autem permoueri non posset Pamphilus, vt reduceret, tamen caussam constantissimè dissimulat. Itur eò, vt putent Bachidis amore deuinctum, ab vxore alieno animo esse.

CATASTROPHE.

Bachis accersita, fidem facit, nihil sibi cum Pamphilo rei esse. Hic aut prodendum peccatum vxoris fuit, aut reducenda: verùm casu periculum discutitur. Forte enim Philumenæ annulum Socrus in digito Bachidis conspexit, quem olim Pamphilus stupratæ in tenebris Philumenæ detraxerat. Is annulus testatur ex Pamphilo puerum susceptum esse: Ita redit in gratiam cum vxore Pamphilus. Iucunda est cum vxoribus senum concertatio, quæ monet, sæpe errore & falsis suspicionibus fieri, vt dissentiant coniuges. Inprimis autem insignis est humanitas & fides Pamphili in hac fabula.

FABVLÆ INTER LOCVTORES.

Philotis meretrix.
Syra anus.
Laches senex.
Sostrata matrona.
Pamphilus adolescens.
Parmeno seruus.
Sosia seruus.
Phidippus senex.
Myrrhina matrona.
Philumena vxor.
Bachis meretrix.

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN HECYRAM.

VXorem duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulerat,
Eiusq; per vim quem detraxit annulum,
Dederat amicæ Bachidi meretriculæ:
Dein' profectus in Imbrum est: nuptam haud attigit.
Hanc mater vtero grauidam, ne id sciat Socrus,
Vt ægram ad se transfert: reuenit Pamphilus:
Deprehendit: partum cælat: vxorem tamen
Recipere non volt. pater incusat Bachidis
Amorem. dum se purgat Bachis, annulum
Mater viciatæ fortè agnoscit Myrrhina.
Vxorem recipit Pamphilus cum filio.

ACTA

ACTA LVDIS MEGALENSIBVS, SEX. IVLIO CÆSARE, CN. CORNELIO DOLOBELLA, AEDILIBVS CVRVLIBVS. NON PLACVIT. ITERVM DATA CN. OCTAVIO, TITO MANLIO COSS. LVC. AEMILI PAVLI LVDIS FVNEBRIBVS, NON EST PLACITA. TERTIO RELATA Q. FVLVIO. L. MARTIO AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGIT L. AMBIVIVS TVRPIO; PLACVIT.

PROLOGVS.

HECYRA est huic nomen fabulæ. hæc cùm data est
Noua, nouum interuenit vitium, & calamitas,
Vt neq; spectari, neq; cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat. nunc hæc planè est pro noua:
Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, vt iterum posset vendere.
Alias cognostis eius: quæso hanc nunc noscite.

Propositio amplificata à persona Prologi, refero explosas, ne Poeta à scribendo deterreatur.

Orator ad vos venio ornatu Prologi:
Sinite exorator sim, eodem vt iure vti senem
Liceat, quo iure sum vsus adolescentior,
Nouas qui exactas feci, vt inueterascerent,
Ne cum poëta scriptura euanesceret.
In his, quas primum Cæcilij didici nouas,
Partim sum earum exactus, partim vix sieti:
Quia sciebam dubiam fortunam esse scenicam,
Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.
Easdem agere cœpi, vt ab eodem alias discerem
Nouas studiosè, ne illum ab studio abducerem.
Perfeci, vt spectarentur. vbi sunt cognitæ,
Placitæ sunt. Ita Poëtam restitui in locum
Prope iam remotum iniuria aduersarium
Ab studio, atq; ab labore, atq; arte Musica.
Quod si scripturam spreuissem in præsentia,
Et in deterrendo voluissem operam sumere,
Vt in ocio esset, potius, quàm in negocio,
Deterruissem facilè, ne alias scriberet.
Nunc quid petam mea caussa, æquo animo attendite.

Querela de Hecyra antea per tumultum non audita.

Hecyram ad vos refero, quàm mihi per silentium
Nunquam agere licitum est, ita eam oppressit calamitas.
Eam calamitatem vostra intelligentia
Sedabit, si erit adiutrix nostræ industriæ.
Cùm primum eam agere cœpi, pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit expectatio,

Comitum

Comitum conuentus, strepitus, clamor mulierum
Fecere, vt ante tempus exirem foras.
Vetere in noua cœpi vti consuetudine,
In experiundo vt essem: refero denuo:
Primo actu placeo, cùm interea rumor venit
Datum iri gladiatores: populus conuolat,
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco:
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla est: otium, & silentium est,
Agendi tempus mihi datum est: vobis datur
Potestas condecorandi ludos Scenicos.
Nolite sinere per vos artem Musicam
Recidere ad paucos: facite, vt vostra authoritas
Meæ authoritati fautrix, adiutrixq; sit.
Si nunquam auarè statui precium arti meæ,
Et cùm esse quæstum in animum induxi maximum,
Quàm maximè seruire vostris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum, & se in vostram commisit fidem:
Ne eum circumuentum iniquè iniqui irrideant.
Mea caussa caussam hanc accipite, & date silentium,
Vt lubeat scribere alijs, mihiq; vt discere
Nouas expediat, posthac precio emptas meo.

Conclusio ex occasione.

Ab vtili.

Ab honesto.

ACTVS

WBP Opole



ACTVS

ACTVS PRIMI
SCENA PRIMA.

PHILOTIVM meritrix.
SYRA anus.

Senarij.

PERPOL quàm paucos reperias meretricibus
Fideles euenire amatores Syra.
Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bachidi,
Quàm sanctè, vt quiuis facile posset credere,
Nunquam illa viua ducturum vxorem domum:
En duxit. SY. Ergo propterea te sedulò
Et moneo, & hortor, ne cuiusquam misereat
Quin spolies, mutiles, laceres, quenq; nacta sis.
PH. Vtin' eximium neminem habeam? SY. neminem:
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret sese, abs te vt blanditijs suis,
Quàm minimo precio suam voluptatem expleat.
Hiscine tu amabo tuo contrà insidiabere?
PH. Tamen pol eandem iniurium est, esse omnibus.
SY. Iniu-

Terentius admodum honestas meretrices fingit: Ideo talis & hic pingitur.

Sy Iniurium autem est vlcisci aduersarios?
Aut qua via captent te illi, eadem ipsos capi?
Eheu me miseram, cur non aut istæc mihi
Aetas & forma est, aut tibi hæc sententia?

ACTVS I. SCENA II.

PARMENO, PHILOTIS, SYRA.

Senarij.

SEnex si quæret me, modo isse dicito
Ad portum percontatum aduentum Pamphili.
Audin', quid dicam, Scyrte? si quæret me, vti
Tum dicas si non quæret, nullus dixeris,
Aliàs vt vti possim caussa hac integra.
Occasio colloquij. Sed videon' ego Philotium? vnde hæc aduenit?
Philotis, salue multum. Ph. ô salue Parmeno.
Proceleusma. Sy. Salue mecastor Parmeno. Pa. & tu ædepol Syra.
Dic vbi Philotis, te oblectasti tam diu?
Ph. Minimè equidem me oblectaui, quæ cum milite
Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo:
Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
Pa. Aedepol te desiderium Athenarum arbitror
Philotium cepisse sæpe, & te tuum
Consilium contempsisse. Ph. non dici potest,
Quàm cupida eram huc redeundi, abeundi à milite,
Vosq; hìc videndi, antiqua vt consuetudine
Agitarem inter vos liberè conuiuium:

Nam

Nam illic haud licebat, nisi præfinito loquì
Quæ illi placerent. Pa. haud opinor commodè
Finem statuisse orationi militem.
Ph. Sed quid hoc negocî est? modo quæ narrauit mihi
Hìc intus Bachis? quod ego nunquam credidi
Fore, vt hac ille viua posset animum inducere
Vxorem habere. Pa. habere autem? Ph. eho tu, an non habet?
Pa. Habet: sed firmæ hæ vereor vt sint nuptiæ.
Ph. Ita Dij deæq; faxint, si in rem est Bachidis.
Sed quî istuc credam ita esse? dic mihi Parmeno.
Pa. Non est opus prolato: hæc percontarier
Desiste. Ph. nempe ea caussa, vt ne id fiat palàm.
Ita mè Dij amabunt, haud propterea te rogo
Vt hoc proferam, sed vt tacita mecum gaudeam.
Pa. Nunquam tam dices commodè, vt tergum meum
Tuam in fidem committam. Ph. ah noli Parmeno,
Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi,
Quàm ego quæ perconter, scire. Pa. vera hæc prædicat:
Et illud mihi vicium est maximum. si mihi fidem
Das, te tacituram, dicam. Ph. ad ingenium redis.
Fidem do, loquere Pa. Auscultà. Ph. istic sum. Pa. Hanc Bachidem
Amabat, vt cum maximè, tum Pamphilus,
Cùm pater, vxorem vt ducat, orare occipit:
Et hæc, communia omnium quæ sunt patrum,

Facetissimè describit seruum futilem.

Narratio, qua exponit argumentũ &

Sese

occasionē fabulæ, estq; mirifice ornata & referta sensibus & mitioribus affectibus quivocantur ἠθικ.

Sese senem esse dicere, illum autem esse vnicum,
Præsidium velle se senectuti suæ.
Ille primò se negare: sed postquam acrius
Pater instat, fecit animi vt incertus foret,
Pudori an ne amori obsequeretur magis.
Tundendo, atq; odio deniq; effecit senex:
Despondit ei gnatam huius vicini proximi.
Vsq; illum visum 'st Pamphilo neutiquam graue,
Donec iam in ipsis nuptijs postquam videt
Paratas, nec moram vllam, quin ducat, dari:
Ibi demum ita ægrè tulit, vt ipsam Bachidem,
Si adesset, credo ibi eius commisereseret.
Vbicunq; datum erat spacium solitudinis,
Vt colloqui mecum vnà posset: Parmeno
Perij, quid ego egi? in quod me conieci malum?
Non potero hoc ferre Parmeno, perij miser.
Ph. At te Dij Deæq; perduint cum istoc odio, Laches.
Pa. Vt ad pauca redeam, vxorem deducit domum:
Nocte illa prima virginem non attigit:
Quæ consecuta est nox, eam nihilo magis.
Ph. Quid ais? cum virgine vna adolescens cubuerit,
Plus potus, se illac abstinere vt potuerit?
Non verisimile dicis: nec verum arbitror.
Pa. Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit,
Nisi cupiens tui: ille inuitus illam duxerat.
Ph. Quid deinde fit? Pa. diebus sane pauculis
Post Pamphilus me solum seducit foras,

Narratq;

Narratq; vt virgo ab se integra etiam tum siet:
Seq; ante, quàm eam vxorem duxisset domum,
Speraſſe eas tollerare posse nuptias.
Sed quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibrio haberi Parmeno,
Quin integram itidem reddam, vt accepi à suis,
Neq; honestum mihi, neq; vtile ipsi virgini est.
Ph. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
Pa. Hoc ego proferre, incommodum esse mihi arbitror:
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vicij,
Superbum 'st: sed illam spero, vbi hoc cognouerit,
Non posse se mecum esse, abituram deniq;.
Ph. Quid interea? ibátne ad Bachidem? Pa. cotidie:
Sed, vt fit, postquam hunc alienum ab sese videt,
Maligna multo, & magis procax facta illicò est.
Ph. Non ædepol mirum. Pa. atqui ea res multo maxumè
Disiunxit illum ab illa, postquam & ipse sese,
Et illam, & hanc, quæ domi erat, cognouit satis.
Ad exemplum ambarum mores earum existumans
Hæc, ita vt illiberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta, incommoda, atq; iniurias
Viri omneis ferre, & tegere contumelias.
Hic animus partim vxoris misericordia
Deuictus, partim victus huiusce iniurijs,
Paulatim elapsus Bachidi, atq; huic transtulit

Arti ficiosissimè fingit animū Pamphili victū esse moderatione ingenij ac morum coniugis.

Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunc', ea ad hos redibat lege hæreditas.
Eò amantem inuitum Pamphilum extrudit pater.
Reliquit cum matre hic vxorem: nam senex
Rus abdidit se: huc rarò in vrbem commeat.
Ph. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?
Pa. Nunc audies. primùm dies compluſculos
Bene conueniebat sane inter eas, interim
Miris modis odisse cœpit Sostratam,
Neq; lites vllæ inter eas, postulatio
Nunquam. Ph. Quid igitur? Pa. si quando ad eam
accesserat
Confabulatum, fugere è conspectu, illicò
Videre nolle: denique vbi non quit pati,
Simulat se à matre accersi, ad rem diuinam abijt.
Vbi illic dies complureis, accersi iubet.
Dixere causſam tunc nescio quam: iterum iubet,
Nemo remisit. postquam accersunt sæpius,
Aegram esse simulant mulierem: nostra illicò
It visere ad eam, admisit nemo. hoc vbi senex
Resciuit, heri ea causſa rure huc aduenit,
Patrem continuò conuenit Philumenæ.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio:
Nisi sane curæ est, quorsum euenturum hoc siet.
Habes omnem rem: pergam quò cœpi hoc iter.
Ph. Et quidem ego: nam constitui cum quodam
hospite

Me

Me esse illum conuenturam. Pa. Dij vortant bene
Quod agas. Ph. vale. Pa. & tu bene vale Philotis.

ACTVS II. SCENA I.

Iambici quadrati acatalectici. Trochaicus quadratus catalecticus.

LACHES, SOSTRATA.

PRoh Deûm atq; hominum fidem, quòd hoc genus est, quæ hæc coniuratio? — Facetè querela senis, de mulierum moro sitate: Et error augetgratiam.
Vt omnes mulieres eadem æquè studeant, nolintq; omnia?
Neq; declinatam quàcquam ab aliarum ingenio vllam reperias:
Itaq; adeo vno animo omnes socrus oderunt nurus.
Viris esse aduorsas, æquè studium est, similis pertinacia est.
In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam: &
Ei ludo, si vllus est, magistram hanc esse satis certò scio.
So. Me miseram, quæ nunc, quamobrem accuser, nescio. La. hem, — Senarij.
Tu nescis? So. non, ita me Dij bene ament mi Laches,
Itaq; vnà inter nos agere ætatem liceat. La. Dij mala prohibeant, — Iam tetra.

So. Meq; abs te immeritò esse accusatam, postmodum rescijces. La. scio,
Te immeritò? an quicquam pro istis factis dignum te dici potest,
Quæ me & te, & familiam dedecoras, filio luctum paras?
Tum autem, ex amicis inimici vt sint nobis affines, facis:
Qui illum decreuerunt dignũ, suos cui liberos committerent,
Tu sola exorere, quæ perturbas hæc tua impudentia.
So. Egóne? La. tu inquam mulier, quæ me omninò lapidem, haud hominem putas.
An, quia rari esse crebrò soleo, nescire arbitramini
Senarius. Quo quisq; pacto hic vitam vestrorum exigat?
Multò melius hîc quæ fiunt, quàm illîc vbi sum assiduè, scio:
Trochaic. quad. catalect. Ideo quia, vt vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Iampridem equidem audiuã cœpisse odium tui Philumenam:
Minimeq; adeo mirum: &, ni id feciſſet, magis mirum foret.
Sed non credidi adeo, vt etiam totam hanc odisset domum:
Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.

At vide,

At vide, quàm immeritò ægritudo hæc ovitur mihi abs te Sostrata.
Rus habitatum abij, concedens vobis, & rei seruiens:
Sumptus vestros, ociumq; vt nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens, præter æquom atq; ætatem meam.
Non te pro his curasse rebus, ne quid ægrè esset mihi?
So. Non mea opera, neq; pol culpa euenit. La. immò maxumè.
Sola hic fuisti: in te omnis hæret culpa sola Sostrata.
Quæ hîc erant, curares, cùm ego vos solùi curis cæteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?
Illius dices culpa factum? So. haud equidem dico mi Laches.
La. Gaudeo (ita me Dij ament) gnati caussa: nam de te quidem,
Satis scio, peccando detrimenti nihil fieri potest.
So. Quì scis, an ea caussa, mi vir, me odisse assimulauerit,
Vt cum matre vnà plus esset? La. quid ais: non signi sat est,
Quod heri nemo voluit visentem ad eam, te intrò Iam. tetra.
admittere?

 So. Enim

So. Enim lassam oppidò tum aiebant: eò ad eam non admissa sum.
La. Tuos esse illi mores morbum magis, quàm vllam aliam rem arbitror:
Et meritò adeo: nam vostrarum nulla est, quin gnatum velit
Ducere vxorem: & quæ vobis placita est conditio datur:
Vbi duxere impulsu vestro, nostro impulsu eandem exigunt.

ACTVS II. SCENA II.

PHIDIPPVS, LACHES, SOSTRATA.

Iambici quadrati acatalectici.

ETsi scio Philumena meum ius esse, vt te cogam
Quæ ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus, faciam
Vt tibi concedam, neq; tuæ libidini aduorsabor.
La. Atq; eccum Phidippum optumè video, hinc iam scibo, quid siet.
Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse apprimè obsequentem,
Sed non adeo, vt facilitas mea illorum corrumpat animos.
Quod si tu idem faceres, magis in rem & nostram, & vostram id esset,

Nunc

Nunc video in illarũ potestate esse te. Ph. eia vero.
La. Adij te heri de filia: vt veni, itidem incertum amisti.
Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc,
Celare te iras: si quid est peccatũ à nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando vobis, corrigemus,
Te iudice ipso. sin ea est caussa retinendi apud vos,
Quid ægra est: te mihi iniuriam facere arbitror Phidippe,
Si metuis, satis vt meæ domi curetur diligenter.
At ita me Dij ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Vt tu illam saluam magis velis, quàm ego: id adeo gnati caussa.
Quem ego intellexi illam haud minus, quàm seipsum magnificare.
Neq; adeo clam est, quàm esse eum grauiter laturum credam,
Hoc si resciuerit. eo domum, studeo hæc prius, quàm ille huc redeat.
Ph. Laches & diligentiam vestram, & benignitatẽ
Noui: & quæ dicis, omnia esse vt dicis, animum induco:
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire studeo,
Si facere possim vllo modo. La. quæ res te facere id prohibet?

Honestissima senis oratio de suo officio, qua nurum remitti petit

Eho, nunquidnam accusat virum? Ph. minimè: nam postquam attendi
Magis, & vi cœpi cogere vt rediret, sanctè adiurat,
Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare:
Aliud fortasse alij vicij est: ego sum animo leni natus:
Non possum aduorsari meis. La. hem Sostrata.
So. heu me miseram.
La. Certumne est istuc? Ph. nunc quidem vt videtur: sed nunquid vis?
Nam est quod me transire ad forum iam oportet.
La. eo tecum vnà.

ACTVS II. SCENA III.

Trochaici acatalectici quadrati.

SOSTRATA.

Iusta querela mulieris.

ÆDepol næ nos sumus mulieres iniquè æquè omnes inuisæ viris,
Propter paucas, quæ omnes faciunt dignæ vt videamur malo.
Nam, ita Dij me ament, quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.
Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus
Omneis esse iniquas. haud pol me quidem: nam nunquam secus

Habuî

Habuî illam, ac si ex me esset nata: nec, quî hoc mihi eueniat, scio:
Nisi pol filium multi modis iam expecto, vt redeat domum.

ACTVS III. SCENA I.

Trochaici quadrati catalectici. Iamb. quadrat. & catalect. & acatalect. senarij.

PAMPHILVS, PARMENO, MYRRHINA.

NEmini ego plura acerba esse credo ex amore homini vnquam oblata,
Quàm mihi: heu me infelicem, hanccine ego vitam parsi perdere?
Haccine caussa ego eram tantopere cupidus redeundi domum? Iam. cata.
Cui quanto fuerat præstabilius, vbiuis gentium agere ætatem, Acatalect.
Quàm huc redire? atq; hæc ita esse miserum me rescisceve?
Nam nos omneis, quibus est alicunde aliquis obiectus labos,
Omne quod est interea tempus, prius quàm id rescitum est, lucro est.
Par. At sic, citius quî te expedias his ærumnis, reperias. Trochaic.
Si non rediisses, hæ iræ factæ essent multo ampliores: Iam. cata.

K 5 Sed

Sed nunc aduentum tuum ambas Pamphile scio reuerituras,

Rursum abundat.

Rem cognosces: iram expedies: rursum in gratiam restitues.

Leuia sunt, quæ tu pergrauia esse in animum induxeris tuum.

Querela Pamphili, & deliberatio erga coniugem & erga matrem.

Pam. quid consolare me? an quisquam vsquam gentium est æquè miser?

Priusquàm hanc vxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:

Iam in hac re vt taceam, cuius facile scitu, quàm fuerim miser:

Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mihi obtrudit pater.

Vix me illinc abstraxi, atq; impeditum in ea expediui animum meum:

Vixq; huc conueram, hem noua res orta est, porrò ab hac quæ me abstrahat.

Tum matrem ex ea re, aut me vxorem in culpa inuenturum arbitror:

Quod cùm ita esse inuenero, quid restat, nisi porrò vt fiam miser?

Nam matris ferre iniurias me Parmeno pietas iubet:

Tum vxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit,

Tot meas iniurias, quæ nunquam in vllo patefecit loco.

Sed magnum nescio quid necesse est euenisse Parmeno,

Vnde ira inter eas interceßit, quæ tam permanßit diu.

Par. Haud quidem hercle parum est: si vis vero veram rationem exequi,

Non maximas, quæ maximæ interdum sunt iræ, iniurias

Faciunt: nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,

Cùm de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.

Pueri inter sese quàm pro leuibus noxijs iras gerunt?

Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.

Itidem illæ mulieres sunt fermè, vt pueri, leui sententia:

Fortasse vnum aliquod verbum inter eas iram hanc concierit.

Pam. Abi Parmeno intrò, ac me veniße nuncia. Par. hem, quid hoc est? Pam. tace.

Par. Trepidari sentio, cursari rursum prorsum: agedum ad fores

Accede propius. hem, sensisti ne? Pam. noli fabularier.

Proh Iuppiter, clamorem audio. Par. tute loqueris, me vetas?

Myr. Tace obsecro mea gnata. Pam. matris vox visa est Philumenæ.

Nullus

Nullus sum. Par. quî dum? Pam. quia perij. Par. Quamobrem? Pam. nescio quod magnum malum

Profectò Parmeno me cælent. Par. vxorem Philumenam

Paulitare, nescio quid, dixerunt: id si forte est, nescio.

Pam. Interij: cur mihi id non dixti? Par. quia non poteram vnà omnia.

Pam. Quid morbi est? Par. nescio. Pam. quid? nemone medicum adduxit? Par. nescio.

Pam. Cesso hinc ire intrò, vt hoc quàmprimum, quicquid est, certum sciam?

Iam quadrat cata. Quonam modo Philumena mea nunc te offendam affectam?

Nam si periculum vllum in te est, perijsse me vnà haud dubium est.

Par. Non vsus facto est mihi nunc, hunc intrò sequi:
Nam inuisos omneis nos esse illis sentio:
Heri nemo voluit Sostratam intrò admittere.
Si fortè morbus amplior factus siet,
Quod sane nolim, maximè heri caussa mei:
Seruom illicò introisse dicent Sostratæ,
Aliquid tulisse comminiscentur mali
Capiti, atq; ætati illorum, morbus qui auctus siet:
Hera in crimen veniet, ego verò in magnum malum.

ACTVS III. SCENA II.

Iambici quadrati catalectici.

SOSTRATA, PARMENO, PAMPHILVS.

NEscio quid iamdudum hìc audio tumultuari misera:
Malè metuo, ne Philumenæ magis morbus aggrauescat:
Quod te Aesculapi, & te Salus, ne quid sit huius, oro.
Nunc ad eam visam. Par. heus Sostrata. So. hem. Par. iterum istinc excludere.
So. Ehem Parmeno, tune hìc eras? perij, quid faciam misera,
Non visam vxorem Pamphili, cùm in proximo hìc sit ægra?
Par. Non visas, nec mittas quidem visendi caussa quenquam.
NAM QVI amat, cui odio ipsus est, bis facere stultè duco:
Laborem inanem ipsus capit, & illi molestiam affert.
Tum autem filius tuus introijt videre, vt venit, quid agat. Trochaic. catalect.
So. Quid ais? an venit Pamphilus? Par. venit. Iam cata.
So. Dijs gratias habeo.
Hem, istoc verbo mihi animus redijt, & cura ex corde excessit.
Par. Iam ea te caussa maximè huc nunc introire nolo.

Nam

Remittent Philumenam dolores: Græcismus est, ἀνίασιν αὐτῶ, q. d. relinquunt.

Nam si remittent quippiam Philumenam dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuò sola soli,
Quæ inter vos interuenit, vnde ortum est initiũ iræ.
Atq; eccum video ipsum egredi: quàm tristis est.
So. ô mi gnate.
Pam. Mea mater, salue. So. gaudeo venisse saluum, saluáne
Philumena est? Pam. meliuscula est. So. vtinam istuc ita Dij faxint.
Quid tu igitur lachrumas? aut quid es tam tristis?
Pam. rectè mater.
So. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repentè inuasit?
Pam. Ita factum est. So. quid morbi est? Pam. febris. So. cotidiana? Pam. ita aiunt.
I sodes intrò, consequar iam te mea mater. So. fiat.
Pam. Tu pueris curre Parmeno obuiam, atq; his onera adiuta.
Pa. Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? Pam. cessas?

ACTVS III. SCENA III.

Trocha. octona. catalect. & senarij sex.

PAMPHILVS.

Honestissima querela & deliberatio Pamphili de cælãdo partu.

NEqueo mearum rerum initium vllum inuenire idoneum,
Vnde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt,
Partim quæ perspexi hisce oculis, partim quæ accepi auribus:

Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo intrò me vt corripui timidius, alio suspicans
Morbo me visurum affectam, ac sensi esse vxorem. hei mihi,
Postquam me aspexere ancillæ aduenisse, illicò omnes simul
Lætæ exclamant, venit, id quod derepentè aspexerant.
Sed continuò voltum earum sensi immutari omnium,
Quia tam incommodè istis fors obtulerat aduentum meum.
Vna illarum interea properè præcurrit, nuncians
Me venisse, ego eius videndi cupidus, recta consequor.
Postquam introij, extemplò eius morbum cognoui miser.
Nam neq; vt cælari posset, tempus spacium vllum dabat,
Neq; voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri,
Postquam aspexi, ô facinus indignum, inquam, & corripui illicò
Me inde, lachrumans, incredibili re, atq; atroci pericitus.

Mater

Mater consequitur, iam vt limen exirem, ad genua accidit,
Lacrumans misera: miserrimum est. profectò hoc sic est, vt puto,
OMNIBVS NOBIS, vt res dant sese, ita magni atq; humiles sumus.
Hanc habere orationem mecum à principio instituit:
O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit, causſam vides:
Nam vicium est oblatum virgini olim, ab nescio quo improbo.
Nunc huc confugit, te atq; alios partum vt celaret suum.
Sed cùm orata eius reminiscor, nequeo quin lacrumem miser.
Quæ fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obsecramus ambæ, si ius, si fas est, vti
Aduorsa eius per te tecta tacitaq; apud omnes sient:
Si vnquam te erga animo esse amico sensi eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam, te, vti sibi des pro illa nunc, rogat:
Cæterũ de reducenda id facias, quod in rem sit tuã,
Parturire eam, neq; grauidam esse ex te, solus conscius.
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus.

Tum,

Tum, postquam ad me venit, mensis hic agitur iam septimus:
Quod te scire, ipsa indicat res, nunc si potis est Pamphile,
Maximè volo, doq; operam, vt clam partus eueniat patrem,
Atq; adeo omneis, sed si fieri id non potest, quin sentiant,
Dicam abortum esse: scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuò exponetur: hic tibi nihil est quicquam incommodi:
Et illi miseræ indignè factam iniuriam contexeris:
Pollicitus sum, & seruare in eo certum est, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror:
Nec faciam: & si me amor grauiter, consuetudoq; eius tenet.
Lachrumo, quæ posthac futura est vita, cùm in mentem venit,
Solitudoq;. ô FORTVNA, vt nunquam perpetuò es bona.
Sed iam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit,

Z Quem

Quem ego consilium missum feci, idem nunc hùic
operam dabo.
Adest Parmeno cum pueris: hunc minimè est opus
In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse, in principio, cùm data est:
Vereor, si clamorem eius hic crebrò exaudiat,
Ne parturire eam intellegat: aliquò mihi est
Hunc ablegandus, dum parit Philumena.

Senarij.

ACTVS III. SCENA IIII.

PARMENO, SOSIA, PAMPHILVS.

Senarij & vnus quadratus.

Ablegantur serui, Vt occultari partus queat.

Alias, mittam.

AIn' tu tibi hoc incommodum euenisse iter?
So. Nay hercle verbis Parmeno dici potest
Tantum, quàm reipsa nauigare incommodum 'st.
Par. Itane est? So. ô fortunate, nescis quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam alias vt omittam miserias, vnam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in naui fui,
Cùm interea semper mortem expectabam miser:
Ita vsq; aduorsa tempestate vsi sumus.
Par. Odiosum. So. haud clam me est: deniq; hercle
aufugerim
Potius, quàm redeam, si eò mihi redeundum sciam.
Par. Olim quidem te caussæ impellebant leues,
Quod nunc minitare facere, vt faceres Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium:
Ite

Ite intrò: ego hunc adibo, si quid me velit.
Here, etiam tu hìc stas? Pam. equidem te expecto.
Par. quid est?
Pam. In arcem transcurso opus est. Par. cui homini? Pam. tibi.
Par. In arcem, quid eò? Pam. Callidemidem hospitem
Myconium, qui mecum vnà aduectus est, conueni.
Par. Perij: nouisse hunc dicam, si saluos domum
Rediisset vnquam, vt me ambulando rumperet.
Pam. Quid cessas? Par. quid vis nunciem, an conueniam modo?
Pam. Immò, quod constitui me hodie conuenturum eum,
Non posse, ne me frustra illic expectet: vola.
Par. At non noui hominis faciem. Pam. at faciam vt noueris:
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius.
Par. Cadaueroſa facies: Dij illum perduint.
Quid, si non veniet? maneámne vsque ad vesperum?
Pam. Maneto: curre. Par. non queo, ita defessus sum.
Pam. Ille abijt. quid agam infelix? prorsus nescio
Quo pacto hoc celem, quod me orauit Myrrhina,
Suæ gnatæ partum: nam me miseret mulieris.
Quod potero faciam, tamen vt pietatem colam,
Nam me parenti potius, quàm amori, obsequi

Oportet. atat eccum Phidippum, & patrem
Video: quorsum pergant, quid dicam hisce, incertus
sum.

ACTVS III. SCENA V.

LACHES, PHIDIPPVS, PAMPHILVS.

Trochaici octonarij catalectici, & senarij iambici.

Epitasis fabulæ: Pamphilus recusat vxorem reducere, & cùm veră causſam cælandam duxerit, falsas causas fingit.

DIxtin' dudum, dixisse illam se expectare filium?

Ph. Factum. La. venisse aiunt: redeat, Pam. quam causſam dicam patri,

Quamobrem non reducam, nescio. La. quem ego hic audiui loqui?

Pam. Certum obstirmare est viam me, quam decreui persequi.

La. Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. Pam. salue mi pater.

La. Gnate mi, salue. Ph. bene factum te aduenisse Pamphile,

Atq; adeo, quod maximum est, saluom atq; validum. Pam. creditur.

La. Aduenis modò? Pam. admodum. La. cedo, quid reliquit Phania

Consobrinus noster? Pam. sane hercle homo voluptati obsequens

Fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multum hæredem iuuant,

sibi

sibi verò hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, bene.

La. Tum tu igitur nihil attulisti huc plus vna sententia?

Pam. Quicquid est id, quod reliquit, profuit.

La. immò obfuit:

Nam illum viuom & saluom vellem. Ph. impunè optare istuc licet.

Ille reuiuiscet iam nunquam: & tamen, vtrum malis, scio.

La. Heri Philumenam ad se accersi hic iussit: dic iussisse te.

Eh. Noli fodere: iussi La. sed eam iam remittet. Ph. scilicet.

Pam. Omnem rem scio, vt sit gesta: adueniens audiui omnia.

La. At istos inuitos Dij perdant, qui hæc lubenter nunciant.

Pam. Ego me scio cauisse, ne vlla meritò contumelia

Fieri à nobis posset: idq; si nunc memorabile hîc velim,

Quàm fideli animo & benigno in illam & clementi fui,

Verè possim, ni te ex ipsa id magis velim resciscere.

Namq; eo pacto maximè apud te meo erit ingenio fides,

Cùm illa, quæ nunc in me iniqua est, æqua de me dixerit.

Neq; mea culpa hoc euenisse dissidium, id testor Deos.
Sed quando, esse indignam sese deputat matri meæ,
Cui concedat, cuiusq; mores tolleret sua modestia,
Neq; alio pacto componi potest inter eas gratia:
Segreganda aut mater à me est Phidippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodũ suadet sequi
La. Pamphile, ad aures haud inuito sermo mihi accessit tuus,
Cũ te postputasse omnes res præ parente intellego.
Verùm vide, ne impulsus ira, praue insistas Pamphile
Senarij. Pam. Quibus iris impulsus nunc in illã iniquos sim?
Quæ nunquam quicquam erga me commerita est pater,
Quod nollem & sæpe meritam quod vellem scio:
Amoq;, & laudo, & vehementer desidero:
Nam fuisse erga me miro ingenio, expertus sum:
Illiq; exopto, vt reliquam vitam exigat
Cum eo viro, me quid sit fortunatior,
Quandoquidem illam à me distrahit necessitas.
Ph. Tibi id in manu est, ne fiat. La. si sanus sies,
Iube illam redire. Pam. non est consilium pater,
Matris seruibo commodis. La. quò abis? mane,
Mane inquam, quò abis? Ph. quæ hæc est pertinacia?
La. Dixine Phidippe, hanc rem ægrè laturum esse eum?

Quam-

Quamobrem te orabam, vt filiam remitteres.
Ph. Non credidi ædepol adeo inhumanum fore:
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
Si est, vt velit reducere vxorem, licet:
Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat.
La. Ecce autem, tu quoq; proteruè iracundus es.
Ph. Percontumax rediisti huc nobis Pamphile.
La. Decedet iam ira hæc: etsi meritò iratus est.
Ph. Quia paululum vobis accessit pecuniæ,
Sublati animi sunt. La. etiam mecum litigas?
Ph. Deliberet, renuncietq; hodie mihi,
Velitne, an non: vt alij, si hùc non sit, siet.
La. Phidippe, ades, audi paucis. abijt: quid mea?
Postremò inter se transigant ipsi, vt lubet:
Quando nec gnatus, neq; hic, mihi quisquam obtemperant:
Quæ dico, parùpendunt. porro hoc iurgium ad
Vxorem, cuius hæc fiunt consilio omnia:
Atq; in eam hoc omne, quod mihi ægrè est, euomam.

ACTVS IIII. SCENA I.

Trochaici & iambici octonarij catalectici & acatalectici mixti.

MYRRHINA, PHIDIPPVS.

PEreij, quid agam? quò me vortam? quid meo viro
respondebo

Misera? nam audisse vocem pueri visus est vagientis.
Ita corripuit derepentè tacitus sese ad filiam:
Iam dime. Quod si re rescierit peperisse eam,
Troc. cat. In qua caussa clam me habuisse dicam, non ædepol scio.
Sed ostium concrepuit: credo ipsum ad me exire: nulla sum.
Ph. Vxor vbi me ad filiam ire sensit, se duxit foras:
Atq; eccam video. quid agis Myrrhina: heus tibi dico. Myr. mihine mi vir?
Iam. catâ. Ph. Vir ego tuus sum? tu virum me, aut hominem deputas adeo esse?
Troc. cat. Nam si vtrumuis horum, mulier, vnquam tibi visus forem,
Iamb.cata. Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. Myr. quibus? Ph. at rogitas?
Peperit filia? hem, taces? ex quo? Myr. istuc patrem rogare est æquom.
Acatalect. Perij; ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum obsecro?
Acat.troc. Ph. Credo: neq; adeo arbitrari patris est aliter. sed demiror,
Iam. cata. Quid sit, quamobrem tantopere hunc omnes vos cælare volueritis
Partum, præsertim cùm & rectè, & tempore suo pepererit.

Adeóne

Adeóne pertinaci esse animo, vt puerum præoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,
Potius, quàm aduorsum animi tui libidinem esset cum illo nupta?
Ego etiam illorum esse hanc cupidam credidi, quæ te est penes.
Myr. Misera sum. Ph. vtinam sciam, ita esse istuc. sed nunc mihi in mentem venit
De hac re, quod locuta es olim, cum illum generum cœpimus:
Nam negabas nuptam filiam tuam posse te pati
Cũ eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.
Myr. Quamuis caussam hanc suspicari, quàm ipsam veram, mauolo.
Ph. Multo prius sciui, quàm tu, illum habere amicam Myrrhina:
Verum id vicium nunquam decuisse ego adolescentiæ:
Nam id omnibus innatum est. at pol iam aderit, se quoq; etiam cùm oderit.
Sed vt olim te ostendisti eandem esse, nihil cessasti vsq; adhuc,
Vt filiam ab eo abduceres, neu, quod ego egissem, esset ratum.
Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris.

Epitasis fit multo etiã asperior, postquam resciscunt senes natũ esse puerũ.
Hic vero dant operam, ne dirimatur coniugiũ, & nesciunt hãc ipsam esse offensionũ causam, quod mulieres et Pamphilũ suspicãtur puerum ex alio conceptum esse.
Trochaic. catalect.

Z 5 Myr.

Myr. Adeon' me esse pernicacem censes, cui mater siem,
Vt eo essem animo, si ex vsu esset nostro hoc matrimonium?
Ph. Tun' prospicere, aut iudicare, nostram in rem quod sit, potes?
Audisti ex aliquo fortasse, quì vidisse eum diceret,
Exeuntem, aut introeuntem ad amicam: quid tum postea,
Si modestè ac rarò hoc fecit? nóme ea dissimulare nos
Magis humanum est, quàm dare operam, id scire, qui nos oderit?
Nam si is posset ab ea sese derepente auellere,
Qui cum tot consuesset annos, non eum hominem ducerem,
Nec virum satis firmum gnatæ. Myr. mitte adolescentem obsecro,
Et quæ me peccasse ais: abi, solum solus conueni,
Roga, velitne, an non vxorem. si est, vt dicat velle se,
Redde: sin est autem, vt nolit, rectè consului meæ.
Ph. Siquidem ille ipse non vult, & tu sensti esse in eo Myrrhina
Peccatum: aderam, cuius consilio fuerat ea par prospici.
Quamobrem incendor ira, esse ausum facere hæc iniussu meo.

Inter-

Interdico, ne extulisse extra ædeis puerum vsquam velis,
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc quì postulem:
Ibo intrò, atq; edicam seruis, ne quoquam efferri Iam. acas. sinant.
Myr. Nullum pol credo mulierem me miseriorem viuere:
Nam vt hic laturus hoc sit, si ipsam rem, vt siet, resciuerit,
Non ædepol clam me est, cùm hoc, quod leuius est, tam animo iracundo tulit:
Nec, qua viua, sententia eius possit mutari, scio.
Hoc mihi vnum ex plurimis miserijs reliquum fuerat malum,
Si puerum vt tollam, cogit, cuius nos quì sit nescimus pater:
Nam cùm compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est:
Neq; detractum ei tum quicquam est, quid post possit noscier, quì fiet:
Ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens annulum:
Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius
Celare, cùm sciet alienum puerum tolli pro suo.

ACTVS

ACTVS IIII. SCENA II.

SOSTRATA, PAMPHILVS.

Iambici quadrati acatalectici.

Egregium exemplum moderationis in matre, quæ pollicetur se cessuram esse nurui.

NOn clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, vxorem tuam
Propter meos mores hinc abisse: etsi ea dissimulas sedulò,
Verùm ita me Dij ament: itaq; obtingant ex te quæ exopto mihi,
Vt nunquam sciens commerui, meritò vt caperet odium illam mei:
Teq; antequàm me amare rebar, ei rei firmasse fidem:
Nam mihi intus tuus pater narrauit modo, quo pacto me habueris
Præpositam amori tuo: nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, vt apud me præmium esse positum pietatis scias.
Mi Pamphile, hoc & vobis, & meæ commodum famæ arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse, certò decreui patre,
Ne mea præsentia obstet, neu caussa vlla restet reliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. Pam. quæso quid istuc consili est?

Illius

Illius stultitia victa, ex vrbe tu rus habitatum migres?
Haud facies: neq; sinam, vt qui nobis mater maledictum velit,
Mea pertinacia dicat esse factum, haud tua modestia.
Tum tuas amicas te, & cognatas deserere, & festos dies
Mea caussa, nolo. So. nihil pol iam istæ res mihi voluptatis ferunt:
Dum ætas, tempus tulit, perfuncta satis sum: satietas me iam tenet
Studiorum istorum: hæc mihi nunc cura est maxuma, vt ne cui meæ
Longinquitas ætatis obstet, mortemue expectet meam.
Hic video me esse inuisam immeritò: tempus est concedere:
Sic optumè, vt ego opinor, omneis caussas præcidam omnibus:
Et me hac suspicione exoluam, & illis morem gessero.
Sine me obsecro hoc effugere, volgus quod malè audit mulierum.
Pam. Quam fortunatus cæteris sum rebus, absque vna hac foret,
Hanc matrem habens talem, illam autem vxorem. So. obsecro mi Pamphile,

Non

Non tute incommodam rem, vt quæq; est, in animum inducas pati.
Si cætera sunt ita, vt tu vis, itaq; vt esse ego illa existimo,
Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam.
Pam. væ misero mihi.
So. Et mihi quidem: nam hæc res non minus me male habet, quàm te gnate mi.

ACTVS IIII. SCENA III.

LACHES, SOSTRATA, PAMPHILVS.

QVem cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi vxor,
Istuc est sapere, quà vbicunq; opus sit, animum posse flectere,
Quod faciundum sit post fortasse, idem hoc nunc si feceris.
So. Fors fuat pol. La. abi rus ergo hinc, ibi ego te, & tu me feres.
So. Spero ecastor. La. i ergo intrò, & compone, quæ simul tecum
Senarius. Ferantur: dixi. So. ita vt iubes, faciam. Pam. pater.
Iam. cata. La. Quid vis Pamphile? Pam. hinc abire matrem: minimè. La. quid ita istuc vis?
Pam. quia de vxore incertus sum etiam, quid sim facturus. La. quid est?
Troc. cat. Quid vis facere, nisi reducere? Pam. equidem cupio, & vix contineo.

Sed

Sed non minuam meum consilium. ex vsu quod est, id persequar: — Mixtum trocha. cū Iam. cata.
Credo ea gratia cõcordes magis, si non reducã, fore.
La. Nescias: verùm id tua refert nihil, vtrum illæ fecerint,
Quando hæc abierit, odiosa hæc est ætas adolescentulis: — Troc. cat.
E medio æquom excedere est; postremò iam nos fabulæ — Iam. acat.
Sumus Pamphile, senex atq; anus. — Dime iãb.
Sed video Phidippũ per tempus egredi: accedamus. — Iam. cata.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

PHIDIPPVS, LACHES, PAMPHILVS.

TIbi quoq; ædepol sum iratus, Philumena, — Senarius.
Grauiter quidem: nam hercle abs te factum est turpiter:
Et, si tibi caussa est de hac re: mater me impulit:
Huic vero nulla est. La. opportunè te mihi
Phidippe, in ipso tempore ostendis. Ph. quid est?
Pa. Quid respondebo his? aut quo pacto hoc operiã?
La. Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam:
Ne reuereatur, minus iam quo redeat domũ. Ph. ah,
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina hæc sunt mea vxore exorta omnia:
Mutatio fit, ea nos perturbat Laches.
Pam. ne reducam, turbent porro, quàm velint.
ph. Ego Pamphile esse inter nos, si fieri potest,

Affini-

Affinitatem hanc sane perpetuam volo.
Sin' est, vt aliter tua fiet sententia,
Accipias puerum. Pam sensit peperisse: occidi.
La. Puerũ? quem puerum? Ph. natus est nobis nepos:
Nam abducta à vobis prægnans fuerat filia,
Nec fuisse prægnantem vnquam ante hunc sciũ diẽ.
La. Bene, ita me Dij ament, nuncias, & gaudeo
Natum illum, & tibi illam saluam: sed quid mulieris
Vxorem habes? aut quibus moratam moribus?
Nosne hoc cælatos tam diu? nequeo satis,
Quàm hoc mihi videtur factum praue, proloquã.
Ph. Non tibi illud factum minus placet, quàm mihi Laches.
Pam. Etsi iamdudum fuerat ambiguum hoc mihi,
Nunc non est cũ eam iam consequatur alienus puer.
La. Nulla tibi Pamphile hîc iam consultatio est.
Pam. Perij. La. hunc videre sæpe optabamus diem,
Cùm ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem:
Euenit: habeo gratiam Dijs. Pam. nullus sum.
La. Reduc vxorem, ac noli aduorsari mihi.
Pam. Pater, si illa ex me liberos vellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam, satis certò scio,
Non me clam haberet, quæ cælasse intellego.
Nunc cùm eius alienum à me esse animum sentiam,
Nec conuenturum inter nos posthac arbitrer:
Quamobrem reducam? La. mater, quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit: mirandumne id est?
Censen' te posse reperire vllam mulierem,
Quæ

Quæ careat culpa? an quia non delinquunt viri?
Ph. Vosmet videte iam Laches, & tu Pamphile
Remissam opus sit vobis, an reductam domum?
Vxor quid faciat, in manu non est mea:
Neutra in re vobis difficultas à me erit.
Sed quid faciemus puero? La. ridiculè, rogas?
Quicquid futurum est, huic reddas, suum scilicet,
Vt alamus nostrum. Pa. quem ipsa neglexit, pater,
Ego alam? La. quid dixti? eho, an non alemus Pamphile?
Prodemus quæso potius? quæ hæc amentia est.
Enimuero prorsus iam tacere non queo,
Nam cogis ea, quæ nolo, vt præsente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lachrumarum esse me?
Aut quid sit id, quòd sollicitere ad hunc modum?
Primum vbi hanc dixti caussam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc vxorem domi,
Pollicita est ea, se concessuram ex ædibus. (vides,
Nunc, postquam ademptam hanc quoq; tibi caussam
Puer, quia clam te est natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas:
Aliquando tandem huc animum, vt abducas tuum,
Quàm longum spacium amandi amicam tibi dedi?
Sumptus, quos feciſti in eam, quàm animo æquo tuli?
Egi, atq; orauì tecum, vxorem vt duceres:
Tempus dixi esse, impulsu duxisti meo.
Quæ tum, obsecutus mihi, feciſti vt decuerat.
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum,

a Cui

Alia translatio, causa postrema, cur Pamphil, nolit reducere Vxorem, confertur in amorem Bachidis.

Estq; rethoricè ornata expostulatio patris.

Cui tu obsecutus, facis huic adeo iniuriam.
Nam in eandem vitam te reuolutum denuo
Video esse. Pam. mene? La. teipsum: & facis iniuriam,
Cùm fingis falsas causas ad discordiam,
Vt cum illa viuas, testem hanc cum abs te amoueris:
Sensitq; adeo vxor: nam ei causa alia quæ fuit,
Quamobrem abs te abiret? Ph. planè hic diuinat: nam id est.
Pam. Dabo iusiurandum, nihil esse istorũ tibi. L. ah,
Reduc vxorem, aut, quamobrem non opus sit, cedo.
Pam. Non est nunc tempus. La. puerum accipias: nam is quidem
In culpa non est. pòst de matre videro.
Pam. Omnibus modis miser sum: nec, quid agã, scio:
Tot nunc me rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, præsens quando promoueo parum:
Nam puerum iniussu credo non tollent meo,
Præsertim in ea re, cùm sit mihi adiutrix socrus.
La. Fugis? hem, nec quicquam certi respondes mihi?
Num tibi videtur esse apud sese? sine:
Puerũ Phidippe mihi cedo, ego alam. Ph. maxumè.
Non mirum fecit vxor mea, si hoc ægrè tulit:
Amaræ mulieres sunt, non facilè hæc ferunt,
Propterea hæc ira est: nam ipsa narrauit mihi:
Id ego hoc præsente tibi nolebam dicere:
Neq; illi credebam primò. nunc verò palam est.
Nam omninò abhorrere animũ huic video à nuptijs.

La. Quid

La. Quid ergo agam Phidippe? quid das consilij?
Ph. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo,
Oremus: accusemus grauius: deniq;
Minitemur, si cum illo habuerit rem posthac.
La. Faciam, vt mones: eho puer, curre ad Bachidem hanc
Vicinam nostram: huc euoca verbis meis.
Et te oro porrò, in hac re adiutor sis mihi. Ph. ah,
Iamdudum dixi, itidemq; nunc dico Lache,
Manere affinitatem hanc inter nos volo,
Si vllo modo est, vt possit, quod spero fore:
Sed visne adesse me vnà, dum istam conuenis?
La. Immò vero abi, aliquam puero nutricem para.

ACTVS V. SCENA I.

Iambici quadrati catalectici & acatalectici, trochaici acatalectici mixti.

BACHIS, LACHES.

NON hoc de nihilo est, quod Laches nunc me
conuentam esse expetit:
Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit
quod velit.
La. Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quàm possiem:
Aut ne quid faciam plus, quod me pòst minus fecisse
satius sit.
Aggrediar. Bachis, salue.

Ba. Sal-

Ba. Salue Laches. La. credo ædepol te nonnihil mirari Bachis, (iussi.

Quid sit, quapropter te huc foras puerum euocare

Modestia meretricis — Ba. Ego pol quoq; etiam timida sum, cum venit mihi in mentem, quæ

Aliâs, meo quæstui. — Sim, ne nomen mihi quæsti obstet: nam mores facilè tutor.

La. Si vera dicis, nihil tibi est à me pericli mulier:

Nam iam ætate ea sum, vt non siet peccato mihi ignosci æquom:

Quo magis omneis res cautius, ne temerè faciam accuro.

Nam si id nunc facis, facturaue es, bonas quod par est facere,

Inscitum offerre iniuriam tibi me immerenti, iniquom est.

Ba. Est magna ecastor gratia, de istac re quam tibi habeam.

Troc. cat. — Nam qui post factam iniuriam se expurget, parum mihi prosit.

Sed quid istuc est? La. meum receptas filium ad te Pamphilum. Ba. ah.

La. Sine dicam: vxorem prius quàm hanc duxit, vostrum amorem pertuli:

Mane, mane nondum etiam dixi id, quod volui. hic nunc vxorem habet:

Quære alium tibi firmiorem amicum, dum tempus consulendi est;

Nam

Nam neq; ille hoc animo erit ætatem, neq; pol tu eadem istac ætate. — Aetatem, pro aduerbio positũ est, videtur pro deinceps, seu diu.

Ba. Quid is ait? La. socrus. Ba. méne? La. teipsam: & filiam abduxit suam:

Puerumq; ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.

Ba. Aliud si scirem, quî firmare meam apud vos possiem fidem,

Sanctius quam iusiurandũ, id pollicerer tibi Laches,

Me segregatum habuisse, vxorem vt duxit, à me Pamphilum.

La. Lepida es. sed scin' quid volo potius sodes facias. Ba. quid vis? cedo. — Iam. acat.

La. Eas ad mulieres huc intrò, atq; istuc iusiurandum idem — Troc. cat.

Polliceare illis: exple animum his, teq; hoc crimine expedi.

Ba. Faciam: quod pol, si esset alia ex hoc quæstu, haud faceret, scio, — Bachis & se & Pamphilum excusat.

Vt de tali caussa nuptæ mulieri se ostenderet.

Sed esse falsa fama nolo gnatum suspectum tuum:

Nec leuiorẽ vobis, quibus est minimè æquõ videriet

Immeritò: nam meritus de me est, quod queam, illi vt commodem.

La. Facilem, beneuolumq; lingua tua iam tibi me reddidit:

Nam non sunt solæ arbitratæ hæ: ego quoq; hoc etiam credidi.

Nunc, cùm ego te esse præter nostram opinionem comperi, (les,
Fac eadem vt sis porro, nostra vtere amicitia, vt vo-
Iam. tētra. acatalect. Aliter si facias. sed reprimam me, ne ægrè quicquam ex me audias.
Verùm te hoc moneo vnum, qualis sim amicus, aut quàd possiem
Potius quàm inimicus, periculum facias. Ba. faciam sedulò.

ACTVS V. SCENA II.

PHIDIPPVS, LACHES, BACHIS.

Iambici quadrati catalectici.

Nihil apud me tibi defieri patiar, quin, quod opus sit,
Dimeter catalect. Benignè præbeatur.
Octo. cat. Sed cùm tu satura, atq; ebria eris, puer vt satur sit, facito.
La. Noster socer, video, venit: puero nutricem adduxit.
Phidippe, Bachis deierat persanctè. Ph. hæccine ea est? La. hæc est.
Ph. Nec pol istæ metuunt Deos: neq; has respicere Deos, opinor. (re,
Ba. Ancillas dedo: quo lubet cruciatu per me exqui-
Licet. hæc res hìc agitur: Pamphilo me facere vt redeat vxor,
Oportet: quod si perficio, non pœnitet me famæ,
Solã feciſſe id, quod aliæ meretrices facere fugitant.
La. Phi-

La. Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falsò
Nobis, in re ipsa inuenimus: porrò hanc nunc experiamur.
Nam si compererit crimini tua se vxor credidisse,
Missam iram faciet: sin autem est ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit vxor clam, id leue est: citò ab eo hæc ira abscedet.
Profectò in hac re nihil mali est, quod sit diſsidio dignum.
Ph. Velim quidem hercle. La. exquire, adest: quod satis sit, faciet. Ba. faciam.
Ph. Quid istuc mihi narras? an quia non tute ipse audisti dudum,
De hac re animus meus vt sit Laches? illis modo exple animum.
La. Quæso ædepol Bachis, quod mihi es pollicita, tute vt serues.
Ba. Ob eam rem vis ergo introeam? La. i, atq; exple animum his, vt credant.
Ba. Eo: etsi scio pol his fore meum conspectum inuisum hodie: (est.
Nam nupta meretrici hostis est, à viro vbi se gregata
La. At hæ amicæ erunt, vbi, quamobrem aduenerit, resciscent.
Ph. At easdem amicas tibi fore promitto, rem vbi cognorint:
Nam illas errore, & te simul suspicione exolues.

Ba. Perij, pudet Philumenæ: sequimini me intrò
huc ambæ.
La. Quid est, quod mihi malim, quàm quod huic intellego euenire, (sit?
Vt gratiã ineat sine dispendio suo, & mihi vnà pro-
Nam si est, vt hæc nunc Pamphilum verè ab se segregarit,
Scit sibi nobilitatem ex eo, & rem natam, & gloriam esse,
Referetq; gratiam ei, vnaq; nos sibi opera amicos iunget.

ACTVS V. SCENA IIII.

Trochaici octonarij catalectici. Iambici quadrati acatalectici.

PARMENO, BACHIS.

Catastrophe casus discussis periculis, redigit omnes in mutuam gratiam.

ÆDepol næ meam herus esse operam deputat parui preci,
Qui ob rem nullam misit: frustra vbi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum expecto in arce Callidemidem:
Itaq; ineptus hodie, dũ illîc sedeo, vt quisq; venerat,
Accedebam adolescens, dic dum quæso, es tu Myconius?
Non sum. at Callidemides? non. hospitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant; neq; enim quenquam esse arbitror.

Deniq;

Deniq; hercle iam pudebat: abij. sed quid Bachidem
Ab nostro affine exeuntẽ video? quid hũc hic est rei?
Ba. Parmeno, opportunè te offers, properè curre ad Pamphilum.
Par. Quid eò? Ba. dic me orare, vt veniat. Par. ad te? Ba. immò ad Philumenam.
Par. Quid rei est? Ba. TVA QVOD nihil refert, percontari desine.
Par. Nil aliud dicam. Ba. etiam, cognosse annulum illum Myrrhinam,
Gnatæ suæ fuisse, quem ipsius mihi olim dederat.
Par. scio:
Tantúmne est? Ba. tantum: aderit continuò, hæc vbi ex te audiuerit.
Sed cessas? Par. minimè quidem: nam hodie mihi potestas haud data est: Iam. quad. catalect.
Ita cursando, atq; ambulando totum hunc contriui diem.
Ba. Quantam obtuli aduentu meo lætitiam Pamphilo hodie?
Quot commodas res attuli? quot autẽ ademi curas?
Gnatũ ei restituo, quã penè harũ ipsiusq; opera perijt
Vxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo?
Qua re suspectus suo patri, & Phidippo fuit, exoluũ.
Hic adeò his rebus annulus fuit initium inueniundis.
Nam memini, ab hinc menses decem ferè ad me nocte prima

Confugere anhelantem domum, sine comite, vinì plenum
Cum hoc annulo: extinuì illicò: mi Pamphile inquam amabo,
Quid exanimatus es obsecro? aut vnde annulum istum nactus?
Dic mihi, ille alias res agere se simulare. postquam id video,
Nescio quid suspicarier, magis cœpi instare, vt dicat
Homo se fatetur vi, in via nescio quam compressisse.
Annulum, dissyllabum est. Dicitq; sese illi annulum, dum luctat, detraxisse:
Eum hæc cognouit Myrrhina in digito modo me habentem:
Rogat, vnde sit: narro omnia hæc: inde est cognitio facta.
Philumenam esse compressam ab eo, & filium inde hunc natum.
Hæc tot propter me gaudia illi contigisse lætor:
Etsi hoc meretrices aliæ nolunt: neq; enim est in rem nostram,
Vt quisquam amator nuptijs lætetur. verùm ecastor
Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partes.
Ego dum illo licitum est vsa sum benigno, & lepido, & comi.
Incommodè mihi nuptijs euenit: factum fateor:
At pol me fecisse arbitror, ne id meritò mihi eueniret.

MYLTA

MYLTA EX QVO fuerint commoda, eius incommoda æquom est ferre.

ACTVS V. SCENA IIII.

Iambici quadrati acatalectici, mixtis senarijs trochaicis quadratis acatalecticis.

PAMPHILVS, PARMENO, BACHIS.

VIde mi Parmeno etiam sodes, vt mihi hæc certa & clara attuleris,
Ne me in breue hoc conijcias tempus, gaudio hoc falso fruì.
Par. Visum est. Pam. certon'? Par. certè. Pam. Deus sum, si hoc ita est. Par. verum reperies.
Pam. Manedum sodes: timeo, ne aliud credam, atq; aliud nuncies.
Par. Maneo. Pam. sic te dixisse opinor, inuenisse Myrrhinam,
Bachidem annulum suum habere. Par. factum. Pam. eum, quem olim ei dedi:
Eaq; hoc te mihi nunciare iussit, itáne est factum? Par. ita inquam.
Pam. Quis me est fortunatior? venustatisq; adeo plenior?
Egóne te pro hoc nuncio quid donem? quid? quid? nescio.
Par. At ego scio. Pam. quid? Par. nihil enim.

Nam

Nam neq; in nuncio, neq; in meipso, tibi quid sit boni, scio.

Iam. tetra. catalect. Pam. Egóne qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam sine munere à me abire? ah, nimium me ingratum putas.

Senarij. Sed Bachidem eccam video stare ante ostium:
Me expectat credo: adibo. Ba. salue Pamphile.
Pam. O Bachis, ô mea Bachis, seruatrix mea.
Ba. Bene factum, & volup'st. Pam. factis, vt credam, facis:

Quadrat. Antiquamq; adeo tuam venustatem obtines,
Vt voluptati obitus, sermo, aduentus tuus, quocunq; aduenerit,
Semper siet. Ba. at tu ecastor morem antiquom, atq; ingenium obtines,

Acat. iam. Vt vnus hominum homo te viuat nunquam quisquam blandior.
Pam. Ha, ha, hæ, tun' mihi isthuc? Ba. rectè amasti Pamphile vxorem tuam:
Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram:
Perliberalis visa est. Pam. dic verum. Ba. ita me Dij ament Pamphile.
Pam. Dic mihi, harum rerum nunquid dixti iam patri? Ba. nihil. Pam. neq; opus est:
Adeo mutito, placet non fieri hoc itidem vt in Comœdijs,

Omnia

Omnia omnes vbi resciscunt: hic, quos par fuerat resciscere, — Facetissima Ironia.
Sciunt, quos non autem scire æquom est, neq; resciscunt, neq; scient.
Ba. Immò etiam, hoc quî occultari posse facilius credas, dabo: — Tro. tetra.
Myrrhina ita Phidippo dixit, iureiurando meo
Se fidem habuisse, & propterea te sibi purgatum.
Pam. optumè est,
Speroq; hanc rem esse euenturam nobis ex sententia. — Iam. cata.
Par. Here, licétne me scire ex te, hodie quid sit quod feci boni?
Aut quid istuc est, quod vos agitis? Pam. non licet.
Par. tamen suspicor.
Egóne hunc ab Orco mortuum? quo pacto?
Pam. nescis Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, & quanta ærumna me extraxeris? — Iam. acat.
Par. Immò vero scio, nec hoc imprudens feci.
Pam. ego istuc satis scio.
Par. An temerè quicquam Parmenonem prætereat, quod facto vsus sit?
Pam. Sequere me intrò Parmeno. Par. sequor. equidem plus hodie boni — Troc. cat.
Feci imprudens, quàm sciens ante hunc diem vnquam. Plaudite. — Senar. tro. acatalect.

CALLIOPVS RECENSVI.

ARGV-

ARGVMENTVM PHILIPPI MELANCHTHONIS IN PHORMIONEM.

Prothasis.

CVM Antipho absente patre in puellam quandam vnicè deperiret, nec posset ea potiri, nisi vxorem duceret (erat enim ciuis Attica) forte nuptiæ cõfectæ sunt technis Sycophantæ cuiusdam Phormionis. Is enim ex compositio diem dicit Antiphoni, fingit puellam ei cognatam esse, neq; quenquam alium propiorem cui nubat: facile est vincere non repugnantem. Itaq; legibus ducere cogitur Antipho.

Epitasis.

Non probatur auaro patri, vbi redijt, factum, vt qui malebat filio opulentam aliquã & dotatam obtrudere: quare cum Phormione expostulat, cur in has nuptias se absente filium coniecerit, Tandem paciscitur etiam mercedem, minas triginta, si acceperit ad sese puellam. Ibi verò & Antipho in discrimen venit, ne per eam conditionem ipse vnicè charam & iucundam coniugem amitteret.

Catastrophe.

Interea domum redit & patruus Antiphonis, hic fidem facit, puellam Antiphoni nuptam ex se in Lemno susceptam esse, vbi cum muliercula quadam consueuerit, gaudetq; ita casu cecidisse, se absente, vt is duceret, quem maximè ipse generum cuperet, & paulo antè ambibat. Ita fit, vt & Antipho retineat vxorem, & nuptiæ patri probentur.

Secvnda Catastrophes pars.

Porrò triginta minæ quos ludos reddidere, has ertorserat Phormio. Quanquam dissimularat dandas alteri adolescẽti Phædriæ, qui Citharistriam mercaretur, & iam perierat pecunia: quam cùm reposcunt senes, Sycophanta prodit Chremetem apud vxorem, & docet consuesse cum alia quadam peregrè, simulq; impetrat, vt Phædriæ id argentum condonetur. Estq; ridicula admodum Catastrophes pars, vbi mulier maritum obiurgat, parum memorem fidei suæ.

FABV-

FABVLÆ INTER LOCVTORES.

Phormio parasitus.
Antipho adolescens.
Dorio leno.
Phædria adolescens.
Sophrona nutrix.
Demipho senex.
Geta seruus.
Chremes senex.
Dauus seruus.
Nausistrata matrona.
Hegio, Cratinus, Crito } aduocati.

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA.

CHremetis frater aberat peregrè Demipho,
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni vxorem, & filiam,
Athenis aliam coniugem, & amantem vnicè
Gnatum fidicinam. mater è Lemno aduenit
Athenas, moritur: virgo sola, aberat Chremes,
Funus procurat, ibi eam viso Antipho
Cùm amaret, opera parasiti vxorem accipit.
Pater, & Chremes reuersi fremere: dein minas
Triginta dat Parasito, vt illam coniugem
Haberet ipse, argento hoc emitur fidicina.
Vxorem retinet Antipho à patruo agnitam.

ACTA

ACTA LVDIS ROMANIS, L. POSTHVMIO ALBINO. L. CORNELIO MERVLA, AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGERE L. AMBIVIVS TVRPIO. L. ATTILIVS PRÆNESTINVS MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI. TIBIIS IMPARIBVS. TOTA GRÆCA, APOLLODORV EPIDICAZOMENOS. FACTA QVART. CN. FANNIO, M. VALERIO COSS.

PROLOGVS.

SENARII.

POstquam Poëta vetus Poëtam non potest Retrahere ab studio, & tradere hominem in ocium, Recriminatio.
Maledictis deterrere, ne scribat, parat:
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenuì esse oratione, & scriptura leui,
Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum

Seruam videre, fugere, sectari canes,
Et eam plorare, orare vt subueniat sibi.
Quod si intelligeret, cùm stetit olim noua,
Actoris opera magis stetisse, quàm sua:
Minus multo audacter, quàm nunc lædit, læderet,
Et magis placerent, quas fecisset fabulas.
Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet,
Vetus si Poëta non lacessisset prior,
Nullum inuenire Prologum potuisset nouus
Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret:
Is sibi responsum hoc habeat, in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant Musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reijcere:
Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene:
Quod ab ipso allatum est, sibi esse id relatum putet.
De illo iam finem faciam dicendi mihi,
Peccandi cùm ipse de se finem non facit.
Nunc quid velim, animum attendite: apporto nouam
† Epidicazomenon, quam vocant Comœdiam
Græci, Latini Phormionem nominant:
Quia primas parteis qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res geretur maximè.

Excusat necessitatem, quod coactus sit respondere prouocāti.

Voluntas

Voluntas vestra, si ad Poëtam accesserit,
Date operam, adeste æquo animo per silentium,
Ne simul vtamur fortuna, atq; vsi sumus,
Cùm per tumultum noster grex motus loco est:
Quem actoris virtus nobis restituit locum,
Bonitasq; vostra adiutans, atq; æquanimitas.

† Ἐπιδικαζόμενος, Id est, qui petit in iudicio hæreditatem, aut puellam, propter propinquitatem generis. Eaq; lis vocatur Græcè ἐπιδικασία. In hanc sententiam in hac fabula ἐπιδικασμένος est Antipho, id est, puellam tenens, propter propinquitatem de sententia iudicis.



ACTVS

ACTVS PRIMI
SCENA PRIMA.

DAVVS.

Senarij.

AMĪCVS *summus meus, & popularis Geta,* Occasio colloquij.
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Iampridem apud me relliquom pauxillum
Nummorum: id vt conficerem, confeci: affero.
Nam herilem filium eius duxisse audio
Vxorem: ei credo manus hoc corraditur.
Quàm iniquè comparatum est, hi quâ minus habent,
Vt semper aliquâd addant diuitioribus?
Quod ille vnciatim vix de demenso suo,
Suum defraudans genium, comparsit miser,
Id illa vniuersum abripiet, haud existumans
Quanto labore partum. porrò autem Geta
Ferietur alio munere, vbi hera pepererit:
Porrò alio autem, vbi erit puero natalis dies:
Vbi initiabunt, omne hoc mater auferet:
Puer caussa erit mittundi: sed videon' Getam?

ACTVS I. SCENA II.

GETA, DAVVS.

SI *quis me quæret ruffus.* Da. *præsto est, desine.*
Ge. *oh.*
At ego obuiam conabar tibi Daue. Da. *accipe hem:*
Lectum est, conueniet numerus, quantum debui.

Ge. Amo te, & non neglexisse habeo gratiam.
Da. Præsertim vt nunc sunt mores, adeo res redit,
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
Sed quid tu es tristis? G. egone? nescio quo in metu, &
Quanto in periculo simus. Da. quid istuc est?
Ge. scies:
Modo vt tacere possis. Da. abi sis insciens:
Cuius tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere verba ei credere? vbi quid mihi lucri est
Te fallere? G. ergo ausculta. D. hanc operã tibi dico.
Narratio, quæ argumentum & occasionẽ Fabulæ explicat.
Ge. Senis nostri Daue fratrem maiorem Chremem
Nostin'? D. quid ni? G. quid? eius gnatum Phædriam?
Da. Tanquam te. Ge. euenit senibus ambobus simul
Iter, illi in Lemnum vt esset, nostro in Ciliciam,
Ad hospitem antiquum: is senem per epistolas
Pellexit, modo non monteis auri pollicens.
Da. Cui tanta erat res, & supererat? Ge. desinas:
Sic est ingenium. Da. oh, regem me esse oportuit.
Ge. Abeuntes ambo hinc tum senes, me filijs
Amplificatio difficultatis.
Relinquunt quasi magistrum. D. ô Geta, prouinciam
Cœpisti duram. Ge. mihi vsu venit, hoc scio:
Memini relinqui me Deo irato meo.
Cœpi aduorsari primò: quid verbis opus est?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
Da. Venêre in mentem isthæc mihi, nam quæ insciitia est,
Aduorsum stimulum calces? Ge. cœpi his omnia
Facere, obsequi quæ vellent. Da. sciisti vti foro.

Ge. Noster

G. Noster mali nihil quicquam primò: hic Phædria,
Continuò quandam nactus est puellulam
Citharistriam, hanc amare cœpit perditè: Aliâs, perditus.
Ea seruiebat lenoni impurissimo:
Neq; quòd daretur quicquam, id curarant patres.
Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere, & reducere:
Nos ocioſi operam dabamus Phædriæ.
In quo hæc discebat ludo, exaduorsum illicò
Tonstrina erat quædam: hic solebamus ferè
Plerunq; eam operiri, dum inde iret domum.
Interea dum sedemus illi, interuenit Aliâs, illic.
Adolescens quidam, lachrumans: nos mirarier:
Rogamus, quid sit: nunquam æquè (inquit) ac modo
Paupertas mihi onus visum est, & miserũ, & graue.
Modo quandam vidi virginem huic viciniæ
Miseram, suam matrem lamentari mortuam,
Ea sita erat exaduorso: neq; illi benevolens,
Neq; notus, neq; cognatus, extra vnam aniculam,
Quisquam aderat, quì adiutaret funus: miseritũ est.
Virgo ipsa facie egregia, quid verbis opus est? Egregia amplificatio formæ luculentis, inter tot incommoda.
Commorat omnes nos, ibi continuò Antipho,
Voltisne eamus visere? alius, censeo:
Eamus. duc nos sodes: imus, venimus,
Videmus: virgo pulchra, & quo magis diceres,
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem:
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
Lachrumæ, vestitus turpis, vt ni vis boni

In ipsa ineſſet forma, hæc formam extingueret.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo
Satis, inquit, ſcita: noſter vero. Da. iam ſcio:
Amare cœpit. Ge. ſcin' quam? quo euadat, vide:
Poſtridie ad anum recta pergit: obſecrat,
Vt ſibi eius faciat copiam. illa autem ſe negat:
Neq; enim æquom aiit facere: illam ciuem eſſe Atti-
cam,
Bonam, bonis prognatam: ſi vxorem velit,
Lege id licere facere: ſin aliter, negat.
Noſter, quid ageret, neſcire, & illam ducere
Cupiebat, & metuebat abſentem patrem.
Da. Non, ſi rediſſet pater, ei veniam daret?
Ge. Illéne indotatam virginem, atq; ignobilem
Daret illi? nequam faceret. Da. quid fit deniq;?
Ge. Quid fiat? eſt paraſitus quidam Phormio,
Homo confidens: qui (illum Dij omnes perduint.)
D. Quid is fecit? G. hoc conſiliũ, quod dicam, dedit:
Lex eſt, vt orbæ, qui ſunt genere proxumi,
His nubant, & illos ducere eadem hæc lex iubet.
Ego te cognatum dicam, & tibi ſcribam dicam:
Paternum amicum me aſſimulabo virginis:
Ad iudices veniemus: qui fuerit pater,
Quæ mater, qui cognata tibi ſit, omnia hæc
Confingam: quod erit mihi bonum, atq; commodum,
Cùm tu horum nihil refelles, vincam ſcilicet.
Pater aderit: mihi paratæ lites: quid mea?
Illa quidem noſtra erit. Da, iocularem audaciam.

Ge. Per-

Ge. Perſuaſit homini: factum eſt, ventum eſt, vin-
cimur:
Dixit. Da. quid narras? G. hoc q; audis. D. ô Geta
Quid te facturum eſt? Ge. neſcio hercle. vnum hoc
ſcio:
Quod fors feret, feremus æquo animo. Da. placet.
Hem iſtuc viri eſt officium. Ge. in me omnis ſpes mi-
hi eſt.
Da. Laudo. Ge. ad precatorem abeã credo, qui mihi
Sic oret: nunc amitte quæſo hunc: cæterùm
Poſthac ſi quicquam, nihil precor, tantummodo
Non addat: vbi ego hinc abiero, vel occidito.
Da. Quid ille pædagogus, qui Cithariſtriam:
Quid rei gerit? G. ſic tenuiter. D. non multum habet
Quod det fortaſſe. Ge. immò nihil, niſi ſpem meram. Aliâs,
Da. Pater eius redijt, an non? Ge nondum. Da. quid præter.
ſenem
Quoad expectatis voſtrum? Ge. non certum ſcio:
Sed epiſtolam ab eo allatam eſſe audiui modo,
Et ad portitores eſſe delatam: hanc petam.
Da. Nunquid Geta aliud me vis? Ge. vt bene ſit tibi.
Puer heus, nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

ACTVS I. SCENA III.

Mixta carmina, pars eſt Trochaici, altera
iambos habet catalecticos.

ANTIPHO, PHÆDRIA.

ADeon' rem redijſſe, vt qui mihi conſultum optu-
mè velit eſſe

Collatio duorum adolescentum, quorum uterq; suam vicē deplorat, vt fit in rebus humanis, vt suæ fortunæ quenquam pœnitcat.

Phædria, patrem vt extimescam, vbi in mentem eius aduenti venit?

Quod ni fuissem incogitans, ita eum expectarem, vt par fuit.

Ph. Quid istuc est? An. rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conscius sis?

Quod vtinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset, Troch. cata.

Neu me cupidum eò impulisset, quod mihi principium est mali:

Non potius essem: fuisset tum illos mihi ægrè aliquot dies:

At nō cotidiana cura hæc angeret animū. Ph. audio.

Iam. cata. An. Dum expecto quàm mox veniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem.

Ph. Alijs, quia defit quod amant, ægrè est: tibi quia superest, dolet.

Dimeter. Amore abundas Antipho.

Iambicus. Nam tua quidem hercle certè vita hæc expetenda optandaq; est:

Ita me Dij bene ament, vt mihi liceat tam diu quod amo, frui.

Iam depacisci mortem cupio: tu conijcito cætera.

Quid ego ex hac inopia nunc capiam, & quid tu ex istac copia?

Vt ne addam, quod sine sumptu ingenuam ac liberalem nactus es:

Quod habes, ita vt voluisti, vxorem sine mala fama: palam

Beatus, ni vnum hoc desit, animus qui modestè isthæc ferat.

Et si tibi res cum eo sit, quo cum mihi est, tum sentias.

Ita pleriq; ingenio sumus omnes, NOSTRI nosmet pœnitet.

An. An tu mihi contra nunc videre fortunatus Phædria,

Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis

Retinere, amare, amittere: ego in eum incidi infelix locum,

Vt neq; mihi eius sit amittundi, nec retinendi copia.

Sed quid hoc est? videóne ego Getam currentem aduenire huc?

Is est ipsus: hei timeo miser, quam hic mihi nunc rem nunciet?

ACTVS I. SCENA IIII.

Iambici quadrati acatalect. Trochaicis octonarijs catalecticis permixtis. Senarij item.

GETA, ANTIPHO, PHÆDRIA.

Iam. acat Nunciatur aduentus patris, & præparatur adolescens ad accipiendū patrem iratum.

NVllus es Geta, nisi aliquod iam tibi consilium celerè repereris.

Ita nunc imparatum subitò tanta te impendent mala,

Quæ neq; vti deuitem scio, neq; quo modo me inde extraham:

(Nam non potest cælari nostra diutius iam audacia)

Quæ

Quæ si non astu prouidentur, me aut herum pessumdabunt.

An. Quidnam ille commotus venit? Ge. tum temporis punctum mihi

Ad hanc rem est, herus adest. An. quid istuc est mali?

Ge. Quod cùm audierit, quod eius remedium inueniam iracundiæ:

Loquarne? incendam. taceam, instigem. purgem me? laterem lauem.

Eheu me miserum: cum mihi paueo, tum Antipho me excruciat animi:

Eius me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet; nam si absq; eo esset,

Catalect. Recte ego mihi vidissem, & senis essem vltus iracundiam:

Iam. acat. Aliquid conuasassem, atq; hinc me conijcerem protinus in pedes.

Dim. tetr. catalect. An. Quam hic fugam, aut furtum parat?

Iam. tetra. acatalect. Ge. Sed vbi Antiphonem reperiam? aut qua quærere insistam via?

Ph. Te nominat. An. nescio quod magnum hoc nuncio expecto malum.

Iam. cata. Ph. Ah, sanusne es. Ge. domum ire pergam: ibi plurimum est. Ph. reuocemus

Monomet. hypercat. Troc. cat. Hominem. An. sta illicò. Ge. hem,

Satis pro imperio, quisquis es. An. Geta. Ge. ipse est, quem volui obuiam.

An. Cedo,

An. Cedo, quid portas obsecro? atq; id, si potes, verbo expedi.

Ge. Faciam. An. eloquere. Ge. modo apud portum. An. meúmne? Ge. intellexti.

An. occidi. Ge. hem.

An. Quid agam? Ph. quid ais? Ge. huius patrem vidisse me, patruum tuum.

An. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inueniam miser?

Quod si eò meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te vt distrahar,

Nulla est mihi vita expetenda. Ge. ergo istæc cum ita sint Antipho,

Tanto magis te aduigilare æquom est: FORTEIS fortuna adiuuat.

An. Non sum apud me. Ge. atqui opus est nunc, cum maxumè, vt sis Antipho:

Nam si senserit te timidum patrem esse, arbitrabitur

Commeruisse culpam. Ph. hoc verum est. An. non possum immutarier.

Ge. Quid faceres, si aliud quid grauius tibi nunc faciundum foret?

An. Cum hoc non possum, illud minus possem.

Ge. hoc nihil est, Phædria ilicet.

Quid conterimus operam frustra? quin abeo.

Ph. & quidem ego. An. obsecro,

Quid si assimulabo? satin' est? Ge. garris. An. voltum contemplamini, hem,

Satin?

Satin' sic est? Ge. non An. quid si sic? Ge. prope modum. An. quid si sic? Ge. sat est:
Hem istuc serua, & verbum verbo, par pari vt respondeas,
Ne te iratus suis sæuidicis dictis protelet. An. scio.
Ge. Vi coactum te esse inuitum, lege, iudicio: tenes?
Sed quis hic est senex, quem video in vltima platea? An. ipsus est.
Non possum adesse. Ge. ah, quid agis? quò abis Antipho? mane,
Mane inquam. An. egomet me noui, & peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, & vitam meam.
Ph. Geta, quid nunc fiet? Ge. tu iam lites audies:
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmetipsos facere oportet Phædria.
Ph. Aufer, mihi oportet: quàn tu, quod faciam, impera.
Ge. Meministin' olim vti fuerit nostra oratio
In re incipiunda ad defendendam noxiam?
Iustam illam caussam, facilem, vincibilem, optumam.
Ph. Memini. Ge. hem, nunc ipsa est opus, aut si quid potes
Meliore & calidiore. Ph. fiet sedulò.
Ge. Nunc prior adito tu: ego in insidijs hîc ero
Succenturiatus, si quid deficies. Ph. age.

ACTVS

Iambici quadrati acatalectici & senarij.

DEMIPHO, senex, GETA, PHÆDRIA.

ITane tandem vxorem duxit Antipho iniussu meo? Nec meum imperium? age mitto imperium: non simultatem meam
Reuereri saltem? non pudere? ô facinus audax, ô Geta
Monitor. Ge. vix tandem. De. quid mihi dicent? aut quam caussam reperient?
Demiror. Ge. atquà reperi iam: aliud cura. De. anne hoc dicent mihi?
Inuitus feci: lex coëgit, audio & fateor. Ge. places.
De. Verum scientem, tacitum, caussam tradere aduersarijs,
Etiamne id lex coëgit? Ph. illud durum. Ge. ego expediam: sine.
De. Incertum est, quid agam: quia præter spem, atq; incredibile hoc mihi obtigit:
Ita sum irritatus, animum vt nequeam ad cogitandum instituere.
Quamobrem OMNES CVM secundæ res sunt maximè, tum maximè
Meditari secum oportet, quo pacto aduorsamærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia: peregrè rediens semper cogites,
Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filiæ, Com-

Si corripitur Ita, Trochaicus est.

Communia esse hæc, fieri posse: vt ne quid animo sit nouum:
Quicquid præter spem eueniat, omne id deputato esse in lucro.
Ge. O Phædria, incredibile est, quanto herum anteeo sapientia.
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, herus si redierit:
Molendum vsq; in pistrino, vapulandum: habendæ compedes:
Opus ruri faciundum: horum nihil quicquam accidet animo nouum.
Quicquid præter spem eueniet, omne id deputabo esse in lucro.
Sed quid cessas hominem adire, & blandè in principio alloqui? (uiam.
De. Phædriam mei fratris video filium mihi ire ob-
Ph. Mi patrue salue. De. salue: sed vbi est Antipho?
Ph. Saluom aduenire. De. credo: hoc responde mihi.
Ph. Valet, hic est: sed satin' omnia ex sententia?
De. Vellem quidem. Ph. quid istuc? De. rogitas Phædria?
Bonas me absente hic confecistis nuptias.
Ph. Eho, an tu id succenses nunc illi? Ge. ô artificem probum.
De. Egone illi non succenseam? ipsum gestio dari
Mihi in conspectum, nunc sua culpa vt sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrumum.

Locus elegantissimus serui.

Senarij.

Ph. Atqui

Ph. Atqui nihil fecit patrue, quod succenseas.
De. Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:
Vnum cognoris, omnes noris. Ph. haud ita est.
De. Hic in noxia est, ille ad defendendam caussam adest:
Cùm ille abest, hic præstò est, tradùt operas mutuas.
Ge. Probè eorum facta imprudens depinxit senex.
De. Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares Phædria.
P. Si ita est patrue, culpa vt Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus rei foret, aut famæ temperans:
Non caussam dico, quin, quod meritus est, ferat.
Sed si quis forte malitia fretus sua,
Insidias nostræ fecit adolescentiæ,
Ac vicit: nostrane ea culpa est, an iudicum,
Qui sæpe propter inuidiam adimunt diuiti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?
Ge. Ni nossem caussam, crederem vera hunc loqui.
De. An quisquam iudex est, qui possit noscere
Tua iusta, vbi tute verbum non respondeas,
Ita vt ille fecit? Ph. functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad iudices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum ibi obstupefecit pudor.
Ge. Laudo hunc: sed cesso adire quàmprimum senẽ?
Here salue: saluom te aduenisse gaudeo. De. oh,
Bone custos salue: columen verò familiæ,
Cui commendaui filium hinc abiens meum.

Expostulatio senis cum filio. Estq; prudenter instituta œconomia, vt in mala caussa non respondeat ipse Antipho, ad quem res pertinet, ne perturbatus tibet alicubi.

Ge. Iamdudum te omnes nos accusare audio
Immeritò, & me omnium horrunc' immeritissimo:
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Seruom hominem, caussam orare leges non sinunt:
Neq; testimonij dictio est. De. mitto omnia:
Adde istuc, imprudens timuit adolescens. sino.
Tu seruos, verùm si cognata est maximè,
Non fuit necesse habere, sed, id quod lex iubet,
Dotem daretis, quæreret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum.
Ge. Non ratio, verùm argentum deerat. De. sumeret
Alicunde. Ge. alicunde? nihil est dictu facilius.
De. Postremò, si nullo alio pacto, fœnore.
Ge. Hui, dixti pulchrè, siquidem quisquam crederet
Te viuo. De. non, non sic futurum est: non potest.
Egone illam cum illo vt patiar nuptam vnum diem?
Nihil suaue meritum est, hominem commonstrarier
Mihi istum volo: aut, vbi habitet, demonstrarier.
Ge. Nempe Phormionem. De. istum patronum mulieris.
Ga. Iam faxo hîc aderit. De. Antipho vbi nunc est?
Ph. foris.
De. Abi Phædria, eũ require, atq; adduce huc. Ph. eó
Recta via equidem illuc. Ge. nempe ad Pamphilum.
De. At ego Deos Penateis hinc salutatum domum
Deuortar: inde ibo ad forum, atq; aliquot mihi
Amicos aduocabo, ad hanc rem quì assient,
Vt ne imparatus sim, cùm aduenìat Phormio.

ACTVS

Trochaici octonarij catalectici, præter duos extremos.

PHORMIO, GETA.

ITâne patris ais conspectum veritum hinc abijsse?
Ge. admodum.
Ph. Phanium relictam solam? Ge sic. Ph. & iratum senem?
Ge. Oppidò. Ph. ad te summa solum Phormio rerum redit:
TVTE HOC intristi, tibi omne est exedundum: accingere.
Ge. Obsecro te. Ph. si rogabit? Ge. in te spes est. Ph. eccere,
Quid si reddet? Ge. tu impulisti. Ph. sic opinor. Ge. subueni.
Ph. Cedo senem: iam instructa sunt mihi corde consilia omnia.
Ge. Quid ages? Ph. quid vis? nisi vt maneat Phanium, atq; ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atq; in me omnem iram deriuem senis?
Ge. O vir fortis atq; amicus: verùm hoc sæpe Phormio
Vereor, ne istæc fortitudo in neruum erumpat denique. Ph. ah,
Non ita est: factum est periclum, iam pedum visa est via.
Quot me censes homines iam deuerberasse vsq; ad necem,

Phormionis audacia depingitur.

Hospites? tum ciues? quo magis nouà, tanto sæpius.
Cedo dum, en vnquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam?
Ge. Quid istuc? Ph. quia non rete accipitri tenditur, neq; miluio,
Qui malè faciunt nobis: illis, qui nihil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.
Alijs aliunde est periclum, vnde aliquàd abradi potest:
Mihi sciunt nihil esse: dices, ducent damnatum domum?
Alere nolunt hominem edacem: & sapiunt, mea sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.
Ge. Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia.
Ph. Immò enim, nemo satis pro merito gratiam Regi refert.
Téne asymbolum venire vnctum, atq; lautum à balneis,
Ocioſum ab animo, cùm ille & cura, & sumptu absumitur.
Dum tibi sit, quod placeat: ille vingitur, tu rideas:
Prior bibas, prior decumbas, cœna dubia apponitur?
Ge. Quid istuc verbi est? Ph. vbi tu dubites, quid sumas potißimum.

Hæc

Hæc, cùm rationem ineas, quàm sint suauia, & quàm chara sint,
Ea qui præbet, non tu hunc habeas planè præsentem Deum?
Ge. Senex adest: vide quid agas: prima coitio est acerrima: Iam. quadrat. acat.
Si eam sustinueris, post illa iam, vt lubet, ludas etiam.

ACTVS II. SCENA III.

DEMIPHO, GETA, PHORMIO.

EN vnquam cùiquam contumelioſius Senarij.
Audisti factam iniuriam, quàm hæc est mihi?
Adeste quæso. Ge. iratus est. Ph. quàn tu hoc ages?
Iam ego hunc agitabo. prô Deûm immortalium,
Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demiphoi?
Hanc Demipho negat esse cognatam? Ge. negat.
Ph. Neq; eius patrem se scire, qui fuerit? Ge. negat.
De. Ipse esse opinor, de quo agebam: sequimini.
P. Nec Stilphonem ipsum scire, qui fuerit? G. negat.
P. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens:
Negligitur ipsa: vide, auaritia quid facit?
Ge. Si herum insimulabis malitiæ, malè audies.
De. O audaciam, etiamne vltrò accusatum aduenit.
Ph. Nam iam adoleſcenti nihil est quod succenſeam, Calumnioſa Phormionis defenſio.
Si illum minus norat: quippe homo iam grandior,
Pauper, cui opera vita erat, ruri ferè
Se continebat: ibi agrum de nostro patre

Colendum habebat: sæpe interea mihi senex
Narrabat, se hunc negligere cognatum suum:
At quem virum? quem ego viderim in vita optumũ.
Ge. Videas, te atq; illum vt narras. Ph. in malam crucem.
Nam ni ita eum existimassem, nunquam tam graueis
Ob hanc inimicitias caperem in nostram familiam,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.
Ge. Pergin' hero absente malè loqui impurissime?
Ph. Dignum autem hoc illo est. Ge. ain' tandem carcer? De. Geta.
Ge. Bonorum extortor, legum contortor. De. Geta.
Ph. Responde. Ge. quis homo est? ehem. De. tace.
Ge. absente tibi
Te indignas, & q; dignas contumelias
Nunquam cessauit dicere hodie. De. ohe, desine.
Adolescens, primùm abs te hoc bona venia expeto,
Si tibi placere potis est, mihi vt respondeas:
Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi,
Et qui cognatum me sibi esse diceret.
Ph. Proinde expiscare, quasi non nosses?
De. nossem? Ph. ita.
De. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
Ph. Eho, tu sobrinum tuum non noras? De. enecas:
Dic nomen. Ph. nomen? maximè. De. quid nunc taces?
Ph. Perij hercle, nomen perdidi. De. hem, quid ais?
Ph. Geta,

Si meministi id, quod olim dictum est, subijce.
Ge. hem,
Non dico: quasi non noris, tentatum aduenis.
De. Egon' autem tento? Ge. Stilpho. Ph. atq; adeo, quid mea?
Stilpho est. De. quem dixti? Ph. Stilphonem inquam noueras?
De. Neq; ego illum noram, neq; mihi cognatus fuit
Quisquam isthoc nomine. Ph. itane? non te horum pudet?
At si talentûm rem reliquisset decem?
De. Dij tibi malè faciant. Ph. primus esses, memoriter
Progeniem vostram vsq; ab auo atq; atauo proferens.
De. Ita vt dicis. ego tum si aduenissem, quî mihi
Cognata ea esset, dicerem: itidem tu face:
Cedo, quî est cognata? Ge. heus noster, rectè: heus tu caue.
Ph. Dilucidè expediuî, quibus me oportuit
Iudicibus: tum, si id falsum fuerat, filius
Cur non refellit? De. filium narras mihi?
Cuius de stulticia dici, vt dignum est, non potest.
Ph. At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
Iudicium de eadem caussa iterum vt reddant tibi:
Quandoquidem solus regnas, & soli licet
Hîc de eadem caussa bis iudicium adipiscier.
De. Etsi mihi facta iniuria est, veruntamen

Potius quàm lites sectler, aut quàm te audiam,
Itidem vt cognata si sit, id quod lex iubet
Dotem dare, abduce hanc, minas quinq; accipe.
Ph. Ha, ha, hæ, homo suauis. De. quid est? num iniquum postulo?
An ne hoc quidem adipiscar ego, quod ius publicum est?
Ph. Itáne tandem quæso, itidem vt meretricem vbi abusus sis,
Mercedem dare lex iubet ei, atq; amittere: an,
Vt ne quid turpe ciuis in se admitteret
Propter egestatem, proxumo iussa est dari,
Vt cum vno ætatem degeret, quod tu vetas?
De. Ita, proxumo quidem: at nos vnde? aut quamobrem? Ph. ohe,
ACTVM, aiunt, NE AGAS. De. non agam? immò haud desinam,
Donec perfecero hoc. Ph. ineptis. De. sine modo.
Ph. Postremò, tecum nihil rei nobis Demipho est:
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Præterierat iam ad ducendum ætas. De. omnia hæc
Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cum vxore hac, ipsum prohibeo domo.
Ge. Iratus est. Ph. tute idem melius feceris.
De. Itáne es paratus facere me aduorsum omnia
Infelix? Ph. metuit hic nos, tametsi sedulò
Dissimulat. Ge. bene habent tibi principia. Ph. quin quod est

Feren-

Ferendum, feras: tuis factis dignum feceris,
Vt amici inter nos simus. De. egóne tuam expetam?
Amicitiam: aut te visum, aut auditum velim?
Ph. Si concordabis cum illa, habebis quæ tuam
Senectutem oblectet: respice ætatem tuam.
De. Te oblectet: tibi habe. Ph. minue vero iram. De. hoc age.
Satis iam verborum est: nisi tu properes mulierem
Abducere, ego illam eijciam: dixi Phormio.
Ph. Si tu illam attigeris secus, quàm dignum est liberam,
Dicam impingam tibi grandem: dixi Demipho.
Si quid opus fuerit: heus, domo me. Ge. intellego.

ACTVS II. SCENA IIII.

DEMIPHO, GETA, HEGIO, CRATINVS, CRITO.

Scena. iam. Imago deliberationum plurimarum in vita, vbi auditis aliorum sententijs, magis incerti dimittimur.

QVanta me cura & sollicitudine afficit
Gnatus, qui me & se hisce impediuit nuptijs:
Neq; mihi in conspectum prodit, vt saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidue sit sententiæ.
Abi tu, vise redieritne iam, an nondum, domum.
Ge. Eo. De. videtis quo in loco res hæc siet:
Quid agó? dic Hegio. He. egó? Cratinum censeo,
Si tibi videtur. De. dic Cratine. Cra. méne vis?
De. Te. Cra. ego quæ in rem tuam sint, ea velim
facias: mihi

Si hoc videtur, quod te absente hic filius
Egit, restituì in integrum æquom est, & bonum:
Et id impetrabis, dixi. De. dic nunc Hegio.
He. Ego sedulò hunc dixisse credo: verùm ita est,
QVOT HOMINES, tot sententiæ: suus cuiq; mos.
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse: & turpe inceptu est. De. dic Crito.
Crit. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est. He. nunquid non vis? De. fecistis probè:
Incertior sum multo, quàm dudum. Ge. negant
Rediisse. De. frater est expectandus mihi: is
Quod mihi dederit de hac re consilium, id exequar.
Percontatum ibo ad portum, quo ad se recipiat.
Ge. At ego Antiphonem quæram, vt, quæ acta hìc sunt, sciat.
Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

ACTVS III. SCENA I.

Iambici quadrati acatalectiici.

ANTIPHO, GETA.

ENimuero Antipho multis modis cum isthoc animo es vituperandus:
Itáne hinc abisse, & vitam tuam tutandam alijs dedisse?
Alios tuam rem credidisti magis, quàm te, animaduersuros?

Nam

Nam vtut erant alia, illi certè, quæ nunc domi est, consuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta, pateretur mali:
Cuius nunc miseræ spes, opesq; sunt in te vno omnes sitæ.
Ge. Equidem here nos iamdudum hìc te absentem incusamus, qui abieris.
An. Teipsum quærebam. Ge. sed ea causa nihilo magis deficimus. Acatalect.
An. Loquere obsecro, quonam in loco sunt res & fortunæ meæ?
Nunquid patri subolet? Ge. nihil etiam. An. ecquid spei porrò est? Ge. nescio. An. ah.
Ge. Nisi Phædria haud cessauit pro te niti. An. nihil fecit nouì.
Ge. Tum Phormio itidem hac re, vt in alijs strenuum hominem præbuit.
An. Quid is fecit? Ge. confutauit verbis admodum iratum patrem.
An. Heu Phormio. Ge. ego, quod potui porrò. An. mi Geta omneis vos amo.
Ge. Sic habent principia sese, vt dico: adhuc tranquilla res est.
Mansurusq; patruum pater est, dum huc adueniat. An. quid eum? Ge. vt aiebat,
De eius consilio velle sese facere, quod ad hanc rem attinet.

An. Quan-

An. Quantus metus est mihi, venire huc saluom nunc patruum Geta?
Nam per eius vnam, vt audio, aut viuam, aut moriar, sententiam.
Ge. Phædria tibi adest. An. vbinam est? Ge. eccum ab sua palæstra exit foras.

ACTVS III. SCENA II.

Trochaici tetrametri catalect. permixtis iambicis quadratis acatalecticis.

PHÆDRIA, DORIO, ANTIPHO, GETA.

DOrio, audi obsecro. Do. non audio. Ph. parumper. Do. quin omitte me.
Ph. Audi, quod dicam Do. at enim tædet iam audire eadem millies.
Ph. At nunc dicam, quod lubenter audias. Do. loquere, audio.
Ph. Nequeo te exorare, vt maneas triduum hoc: quò nunc abis?
Do. Mirabar, si tu mihi quicquam afferres noui.
An. Hei, metuo lenonem, ne quid suo suat capiti.
Ge. idem ego metuo.
Ph. Non mihi credis? Do. ariolare. Ph. sin fidem do, Do. fabulæ.
Ph. Fœneratum istuc beneficium tibi pulchrè dices. Do. Logi.
Ph. Crede mihi, gaudebis facto: verum hercle hoc est. Do. somnium.

Altera fabulæ pars de Phædriæ amoribus.

Ph. Ex-

Ph. Experiere, non est longum. Do. cantilenam eandem canis.
Ph. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu. Do. garris modo.
Ph. Adeóne ingenio esse te duro, atq; inexorabili, Vt neq; misericordia, neq; precibus molliri queas?
Do. Adeóne te esse incogitantem atq; impudentem Phædria, Vt phaleratis dictis ducas me, & meam ducles gratis?
An. Miseritum est. Ph. hei, veris vincor. Ge. quàm vterq; est similis sui.
Ph. Neq; Antipho alia cum occupatus esset sollicitudine, Tum hoc esse mihi obiectum malum? An. ah, quid istuc autem est Phædria?
Ph. O fortunatissime Antipho. An. egóne? Ph. cui, quod amas, domi est:
Nec cùm huiusmodi vnquam vsus venit, vt conflictares malo.
An. Mihine domi est? Immò, quod aiunt, AVRIBVS TENEO LVPVM:
Nam neq; quò omittam à me inuenio, neq; vti retineam, scio.
Do. Ipsum istuc mihi in hoc est. An. eia, ne parum leno sies.
Num quid hic confecit? Ph. hiccine? quod homo inhumanissimus

Pamphi-

Pamphilam meam vendidit. Ge quid? vendidit? An. ain' vendidit?

Ph. Vendidit. Do. quàm indignum facinus, ancillam ære emptam suo.

Ph. Nequeo exorare, vt maneat, & cum illo vt mutet fidem

Triduum hoc, dum id, quod est promissum ab amicis, argentum aufero.

Si non tum dedero, vnam præterea horam ne oppertus sies.

Do. Obtundis. An. haud longum est id, quod orat, Dorio: exoret sine.

Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicauerit.

Do. Verba ista hæc sunt. An. Pamphilamne hac vrbe priuari sines?

Tum præterea horum? amorem distrahi poterin? pati?

Do. Neq; ego, neq; tu. Ge. Dij tibi omnes id, quod est dignum, duint.

Collatio venustissima: Pollicitãtem, flentem, & nihil ferentem, quidet, neq; lachrumet.

Do. Ego te complureis aduorsum ingenium meam menses tuli,

Pollicitantem, & nihil ferentem, flentem: nunc contra omnia,

Repperi, quì det, neq; lachrumet: da locum melioribus.

An. Certè hercle ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies,

Quam

Quam ad, dares hùic, præstituta. Ph. factum. Do. num ego istuc nego?

An. Iam ea præterijt. Do. non, verùm ei hæc antecessit. An. non pudet

Vanitatis? Do. minimè, dum ob rem. Ge. sterquilinium. Ph. Dorio,

Itàne tandem facere oportet? Do. sic sum: si placeo, vtere.

An. Siccine hunc decipis? Do. immò enimuero Antipho, hic me decipit:

Nam hic me huiusmodi esse sciebat: ego hunc esse aliter credidi.

Iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter, ac sũ.

Sed vtut hæc sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi

Miles se dare dixit: si mihi prior tu attuleris Phædria,

Mea lege vtar, vt potior sit, quì prior ad dandum est. Vale.

ACTVS III. SCENA III.

Trochaici tetrametri catalect. permixtis paucis iambicis quadratis acatalectis.

PHÆDRIA, ANTIPHO, GETA.

Deliberatio de pecunia conficienda Phædriæ ad emendã Citharistriam.

QVid faciam? vnde ego nunc tam subitò hùic argentum inueniam miser,

Cui minus nihilo est? quod si hic potuisset nunc exorarier

Triduum

Triduum hoc, promissum fuerat. An. itáne hunc patiemur Getá
Fieri miserum, qui me dudum, vt dixti, adiuuerit comiter,
Quin cùm opus est, beneficium vursum ei experiamur reddere?
Ge. Scio equidem hoc esse æquom. An. age ergo, solus seruare hunc potes.
Ge. Quid faciam? An. inuenias argentum. Ge. cupio: sed id vnde, edoce?
An. Pater adest hîc. Ge. scio: sed quid tum? An. ah, dictum sapienti sat est.
Ge. Itáne? An. ita. Ge. sane hercle pulchrè suades: etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex tuis nuptijs si nihil nanciscor mali,
Ni etiam nunc me huius caussa quærere in malo iubeas crucem?
An. Verum hîc dicit. Ph quid? ego vobis Geta alienus sum? Ge. haud puto:
Sed parumne est, quod omnibus nunc nobis succenset senex,
Ni instigemus etiam, vt nullus locus relinquatur preci?
Ph. Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? hem:
Dum igitur diem licet, dumq; assum, loquimini mecum Antipho:

Con-

Contemplamini me. An. quamobrem? aut quidnam facturus? cedo.
Ph. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,
Aut perire. An. Dij bene vortant, quod agas: pedetentim tamen.
Vide, si quid opis potes afferre huic. Ge. si quid? quid? An. quære obsecro,
Ne quid plus minusue faxit, quod nos pòst pigeat Geta.
Ge. Quæro: saluos est, vt opinor: verùm enim metuo malum. (bimus.
An. Noli metuere: vnà tecum bona malaq; tollera-
Ge. Quantum opus est tibi argenti? loquere.
Ph. solæ triginta minæ.
Ge. Triginta? huì, percara est Phædria. Ph. isthæc verò vtilis est.
Ge. Age, age, inuentas reddam. Ph. ô lepidũ caput.
Ge. auser. Ph. iam est opus. Ge. iam feres:
Sed opus est mihi Phormionem ad hanc rem adiutorem dari.
An. Præsto est: audacissimè oneris quàduis impone, & feret:
Solus est homo amico amicus. Ge. eamus ergo ad eum ocyus.
Ph. Abi, dic præsto vt sit domi.
An. Nunquid est, quod opera mea vobis opus sit?
Ge. nihil: verùm abi domum,

Et illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu
Consolare: cessas? An. nihil est, æquè quod faciam lubens.
Ph. Qua via istuc facies? Ge. dicam in itinere: modo te hinc amoue.

ACTVS IIII. SCENA I.

DEMIPHO, CHREMES.

Senum deliberatio de elocanda Chremetis filia.

QVid? qua profectus caussa hinc es Lemnum Chremes?
Adduxtin' tecum filiam? Ch. non. De. quid ita non?
Ch. Postquam vidit me eius mater esse hic diutius,
Simul autem non manebat ætas virginis
Meam negligentiam: ipsam cum omni familia
Ad me profectã esse aiebant. De. quid illuc tam diu
Quæso igitur commorabere, vbi id audiueras?
Ch. Pol me detinãt morbus. De. vnde? aut quî? Ch. rogas?
Senectus ipsa est morbus: sed venisse eas
Saluas audiuî ex nauta, quî illas vexerat.
De. Quid gnato obtigerit me absente, audistin' Chremes?
Ch. Quod quidem me factum consilij incertum facit:
Nam hanc conditionem si cũ tulero extrario,
Quo pacto, aut vnde mihi sit, dicendum ordine est.
Te mihi fidelem esse æquè, atq; egomet sum mihi,
Sciebam:

Sciebam: Ille si meus alienus affinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas:
Sin sprouerit me, plus, quàm opus est, scito, sciet:
Vereorq; ne vxor aliqua hoc resciscat mea.
Quod si fit, vti me excutiam, atq; egrediar domo,
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.
De. Scio ita esse, & isthæc mihi res sollicitudini est:
Neq; defetiscar vsq; adeo experier,
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

ACTVS IIII. SCENA II.

GETA.

Senarij.

EGo hominem callidiorem vidi neminem,
Quàm Phormionem, venio ad hominem, vt dicerem
Argento opus esse, & id quo pacto fieret:
Vix dum dimidium dixeram, intellexerat,
Gaudebat: me laudabat: quærebat senem.
Dijs gratias agebat, tempus sibi dari,
Vbi Phædriæ se ostenderet nihilo minus
Amicum esse, quàm Antiphoni, hominem ad forum
Iussi operiri: eò me esse adducturum senem.
Sed eccum ipsum: quis est vlterior? atat Phædriæ
Pater venit: sed quid pertimui autem bellua?
An quia, quos fallam, pro vno duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe vtier.
Petam hinc, vnde à primo institui: is si dat, sat est:
Si ab hoc nihil fiat, tum hunc adoriar hospitem.

Inuersio digna audacissimo homine.

ACTVS IIII. SCENA III.

ANTIPHO, GETA, CHREMES, DEMIPHO.

EXpecto, quàm mox recipiat huc sese Geta.
Sed patruum cum patre video astantem, hei mihi,
Quàm timeo, aduentus huius quò impellat patrem.
Ge. Adibo hosce: ô noster Chremes. Ch. salue Geta.
Ge. Venire saluom volup' est. Ch. credo. Ge. quid agitur?
Ch. Multa aduenienti, vt fit, noua hic compluria.
Ge. Ita de Antiphone audistin' quæ facta? Ch. omnia.
Ge. Tun' dixeras huic? facinus indignum Chreme,
Sic circumuéni? De. cum hoc id agebam commodum.
Ge. Nam hercle ego quoq; id quidem mecum agitans sedulò,
Inueni, opinor, remedium huic rei. De. quid Geta?
Quod remedium? Ge. vt abij abs te, fit fortè obuiam
Mihi Phormio. Ch. qui Phormio? Ge. is, qui istam, Ch. scio.
Ge. Visum est mihi, vt eius tentarem sententiam:
Prendo hominem solum: cur non, inquam, Phormio
Vides, inter vos si hæc potius cum bona
Vt componantur gratia, quàm cum mala?
Herus liberalis est, & fugitans litium:
Nam cæteri quidem hercle amici omnes modo,
Vno ore autores fuêre, vt præcipitem hanc daret.

An. Quid

An. Quid hic cœptat? aut quò euadet hodie?
Ge. an legibus
Daturum pœnas dices, si illam eiecerit?
Iam id exploratum est: eia, sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est.
Verùm, pone esse victum eum: at tandem tamen
Non capitis eius res agitur, sed pecuniæ.
Postquam hominem his verbis sentio mollirier,
Soli sumus nunc, inquam: eho dic, quid velis dari
Tibi in manum, vt herus his desistat litibus:
Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies.
An. Satin' illi Dij sunt propitij? Ge. nam sat scio,
Si tu aliquam partem æquâ boniq; dixeris,
Vt ille est bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. De. quis te istæc iussit loquî?
Ch. Immò non potuit melius peruenirier
Eò, quò nos volumus. An. occidi. Ch. perge eloquî.
G. At primò homo insanibat. Ch. cedo, quid postulat?
Ge. Quid? nimium quantum libat. Ch. dic. Ge. si quis daret
Talentum magnum. Ch. immò malum hercle: vt nihil pudet?
Ge. Quod dixi adeo ei: quæso, quid si filiam
Suam vnicam locaret? parùm rettulit
Non suscepisse: inuenta est, quæ dotem petat.
Vt ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias:
Hæc deniq; eius fuit postrema oratio:
Ego, inquit, iam à principio amici filiam,

Ita vt æquom fuerat, voluì vxorem ducere:
Nam mihi veniebat in mentem eius incommodum,
In seruitutem pauperem ad ditem dari:
Sed mihi opus erat, vt apertè tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quæ afferret, quì dissoluerem,
Quæ debeo: & etiam nunc, si volt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio, quæ sponsa est mihi.
Nullam mihi malim, quàm isthanc vxorem dari.
An. Vtrum stultitia facere ego hunc, an malicia
Dicam, scientem, an imprudentem, incertus sum.
De. Quid, si animam debet? Ge. ager oppositus est pignori
Ob decem minas, inquit. De. age age ità ducat, dabo.
Ge. Aediculæ item sunt ob decem alias. De. hoi, huì,
Nimium est. Ch. ne clama, petit hasce à me decem.
Ge. Vxori emunda ancillula est: tum autem pluscula
Suppellectile opus est: opus est sumptu ad nuptias:
His rebus pone sane, inquit, decem minas.
De. Sexcentas proinde potius scribito iam mihi dicas:
Nihil do: impuratus me ille vt etiam irrideat?
Ch. Quæso, ego dabo, quiesce: tu modo filius
Fac vt illam ducat, nos quam volumus. An. hei mihi
Geta, occidisti me tuis fallacijs.
Ch. Mea caussa eijcitur: me hoc est æquom amittere.
Ge. Quantum potes me certiorem, inquit, face:
Si illam dant, hanc vt omittam, ne incertus siem:
Nam illi mihi dotem iam constituerunt dare.

Ch. Iam

Ch. Iam accipiat: illis repudium renunciet:
Hanc ducat. De. quæ quidem illis res vortat malè.
Ch. Opportunè adeo nunc argentum mecum attuli,
Fructum, quem Lemni vxoris reddunt prædia:
Id sumam: vxori, tibi opus esse, dixero.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

ANTIPHO, GETA.

GEta. Ge. hem. An. quid egisti? Ge. emunxi argento senes. Senarij.
An. Satin' id est? Ge. nescio hercle, tantum iussus sum. Epitasis.
An. Eho verbero, aliud mihi respondes, ac rogo? Periculum est, ne Antipho vxorem amittat.
Ge. Quid ergo narras? An. quid ego narrem? opera tua
Ad restim mihi quidem res redijt plane. Sumè:
Vt te quidem omnes Dij, Deæq;, superi, inferi
Malis exemplis perdant: hem, si quid velis,
Huic mandes, quod quidem rectè curatum velis,
Qui te ad scopulum è tranquillo inferat.
Quid minus vtibile fuit, quàm hoc vlcus tangere?
Aut nominare vxorem? iniecta est spes patri,
Posse illam extrudi. cedo, nunc porro Phormio
Dotem si accipiet, vxor ducenda est domum:
Quid fiet? Ge. non enim ducet. An. noui: cæterùm
Cum argentum repetent, nostra caussa scilicet
In neruom potius ibit. Ge. NIHIL EST Antipho,
Quin malè narrando possit deprauarier.

Tu id, quod boni est, excerpis: dicis, quod mali est.
Audi nunc contrà iam, si argentum acceperit,
Ducenda est vxor, vt ais, concedo tibi:
Spacium quidem tandem apparandi nuptias,
Vocandi, sacrificandi dabitur paululum.
Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt:
Id ille istis reddet. An. quamobrem? aut quid dicet?
Ge. rogas?
Quot res post illa monstra euenerunt mihi?
Introijt in ædes ater alienus canis:
Anguis per impluuium decidit de tegulis:
Gallina cecinit: interdixit ariolus:
Aruspex vetuit ante brumam aliquid noui
Negoci incipere: quæ caussa est iustissima.
Hæc fient. An. vt modo fiant. G. siquidem: me vide.
Pater exit: abi, dic esse argentum Phædriæ.

ACTVS IIII. SCENA V.

Iambici quadrati acatalectici.

DEMIPHO, GETA, CHREMES.

Facetum, quod seni nunc serò, vbi nihil opus est, plus quàm superstitiosam diligentiam tribuunt.

QVietus esto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duint.
Hoc temerè nunquam amittam ego à me, quin mihi testeis adhibeam,
Cui dem: & quamobrem dem, commemorabo.
Ge. vt cautus est, vbi nihil opus est.
Ch. Atq; ita opus facto est: at matura, dum lubido eadem hæc manet:

Nam

Nam si altera illa magis instabit, forsitã nos reijciat.
Ge. Rem ipsam putasti. De. duc me ad eum ergo.
Ge. non moror. Ch. vbi hoc egeris,
Transito ad vxorem meam, vt conueniat hanc prius, quàm hinc abeat:
Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne succenseat:
Et magis esse illum idoneum, quì ipsi sit familiarior:
Nos nostro officio nihil egressos esse: quantum is voluerit,
Datum esse dotis. De. quid tua (malum) id refert?
Ch. magni Demipho.
De. NON SAT tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?
Ch. Volo ipsius quoq; voluntate hoc fieri, ne se electam prædicet.
De. Idem ego istuc facere possum. Ch. mulier mulieri magis congruet.
De. Rogabo. Ch. vbi nunc illas ego reperire possim, cogito.

Aliâs, digressos.

Famæ ratio habenda.

ACTVS V. SCENA I.

SOPHRONA nutrix, CHREMES.

Senarij.

Occasso Catastrophes, nam Chremes agnoscit suam filiam nuptã esse Antiphoni.

QVid agam? quem mihi amicum misera inueniam? aut cui consilia hæc referam?
Aut vnde mihi auxilium petam?
Nam vereor, hera ne ob meum suasum indignè iniuria afficiatur. Iam. tetra. catal.

Ità patrem adolescentis facta hæc tolerare audio violenter.

Trochaic. catalect. Ch. Nam quæ hæc est anus exanimata, à fratre quæ egressa est meo?

Iam. acat. So. Quod vt facerem egestas me impulit, cùm scirem infirmas nuptias

Trochaic. Hasce esse, vt id consulerem, interea vita vt in tuto foret.

Ch. Certè ædepol, nisi me animus fallit, aut parum oculi prospiciunt, meæ

Nutricem gnatæ video. So. neq; ille inuestigatur. Ch. quid agam?

So. Qui est eius pater. Ch. adeo, an maneo, dum ea quæ loquitur, magis cognosco?

So. Quod si eius nunc reperire possim, nihil est, quod verear. Ch. ea ipsa est,

Mixtus trochaico & iambi. Colloquar. So. quis hic loquitur? Ch. Sophrona. So. & meum nomen nominat?

Ch. Respice ad me. So. Dij obsecro vos, estne hic Stilpho? Ch. non. So. negas?

Ch. Concede hinc à foribus paululum istorsum sodes Sophrona,

Iam. quad. Ne me istoc posthac nomine appellas sis. So. quid? non is obsecro es,

Acatalect. Quem semper te esse dictitasti? Ch. est. So. quid has metuis fores?

Ch. Conclusam hic habeo vxorem sæuam, verùm istoc de nomine

Eò

Eò properam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris

Effutiretis, atq; id porro aliqua vxor mea rescisceret.

So. Hem, istoc pol nos te hic inuenire miseræ nunquam potuimus.

Ch. Eho dic mihi, quid tibi rei est cum familia hac, vnde exis? Iam. quadrat. cata.

Aut vbi illæ sunt? So. miseram me. Ch. hem, quid est? viuuntne? So. viuit gnata.

Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est.

Ch. Malè factum. So. ego autem quæ essem anus deserta, egens, ignota,

Vt potui nuptum virginem locaui huic adolescenti,

Harum qui est dominus ædium. Ch. Antiphonine inquam? So. hem, isti ipsi

Ch. Quid? duasne is vxores habet? So. au obsecro, vnam ille quidem hanc solam.

Ch. Quid illa altera, quæ dicitur cognata? So. hæc ergo est. Ch. quid ais?

So. Compositum est factum, quomodo hanc amens habere posset

Sine dote. Ch. Dij vestram fidem, quàm sæpe forte temerè

Eueniunt, quæ non audeas optare: offendi adueniens,

Qui

Quĩ cum volebam, atq; vt volebam, collocatam filiam.
Quod nos ambo opere maximo dabamus, vt fieret, operam,
Sine nostra cura, maxima sua cura, hæc sola fecit.
So. Nunc quid facto est opus, vide: pater adolescentis venit,
Eumq;, animo iniquo hoc oppidò ferre aiunt.
Ch. nihil pericli est.
Sed per Deos atq; homines, meam esse hanc, caue resciscat quisquam,
So. Nemo ex me scibit. Ch. sequere me: cætera intus audies.

ACTVS V. SCENA II.
Iambici quadrati catalectici.

DEMIPHO, GETA.

NOstrapte culpa facimus, vt malos expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus & benignos:
Ita fugias, NE PRAETER CASAM, quod aiunt. nonne id sat erat
Accipere ab illo iniuriam? etiam argentum est vltrò obiectum,
Vt sit quĩ viuat, dum aliquid aliud flagitij conficiat.
Ge. Planissumè. De. his nunc præmium est, quĩ recta praua faciunt.

Ge. Ve-

Ge. Verissimè. De. vt stultissimè quidem illi rem gesserimus.
Ge. Modo vt hoc consilio possit discedi, vt istam ducat.
De. Etiamne id dubium est? Ge. haud scio hercle, vt homo est, an mutet animum.
De. Hem, mutet autem? Ge. nescio: verùm, si fortè, dico.
De. Ita faciam, vt frater censuit, vxorem huc eius adducam,
Cum ista vt loquatur: tu Geta abi, præuncia hanc venturam.
Ge. Argentum inuentum? ô Phædriæ: de turgio siletur:
Prouisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat: quid nunc porrò?
Quid fiet? in eodem luto hæsitas: vorsuram solues
Geta? præsens quod fuerat malum, in diem abijt: plagæ crescunt,
Nisi prospicis: nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut eius orationem.

ACTVS V. SCENA III.
Iambici quadrati catalectici & acatalectici.

DEMI-

DEMIPHO, NAVSISTRATA, CHREMES.

Auget gratiam Demiphonis stulta sedulitas in ciendanuru.

AGedum, vt soles Nausistrata, fac vt illa placetur nobis,
Vt sua voluntate id, quod est faciundum, faciat.
Na. faciam.
De. Pariter nunc opera me adiuues, ac dudum re opitulata es.
Na. Factum volo. ac pol minus queo viri culpa, quàm me dignum est.
De. Quid autem? Na. quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his prædijs talenta argenti bina
Statim capiebat: hem, vir viro quid præstat?
De. bina quæso?
Na. Ac rebus vilioribus multo, tamen duo talenta.
De. hui.
Na. Quid hæc videntur? De. scilicet. Na. virum me natam vellem:
Ego ostenderem. De. certò scio. Na. quo pacto?
De. parce sodes.
Iam. quadrat. acat. Vt possis cum illa, ne te adolescens mulier defatiget.
Na. Faciam vt iubes: sed meum virum abs te exire video. Ch. hem Demipho,
Iam illi datum est argentum? De. curaui illicò. Ch. nollem datum.

Hei.

Hei, video vxorem: penè plus, quàm sat erat.
De. Cur nolles Chreme?
Ch. Iam rectè. De. quid tu? ecquid locutus cum istâ es, quamobrem hanc ducimus?
Ch. Transegi. De. quid ait tandem? Ch. abduci non potest. De. quî non potest?
Ch. Quia vterq; vtriq; est cordi. De. quid istuc nostra? Ch. magni. præter hæc,
Cognatam comperi esse nobis. De. quid? deliras? Ch. sic erit:
Non temerè dico: redi mecum in memoriam.
De satine sanus es?
Na. au, obscero, cauè ne in cognatam pecces. De. non est. Ch. ne nega:
Patris nomen aliud dictum est: hoc tu errasti. De. non norat patrem?
Ch. Norat. De. cur aliud dixit? Ch. nunquam ne hodie concedes mihi,
Neq; intellegis? De. si tu nihil narras. Ch. pergis? Na. miror quid hoc siet.
De. Equidem hercle nescio. Ch. vin' scire? at ita me seruet Iuppiter,
Vt propior illi, quàm ego sum, ac tu, homo nemo est. De. Dij vostram fidem:
Eamus ad ipsam vnà omneis nos: aut scire, aut nescire hoc volo. Ch. ah.
De. Quid est? Ch. Itáne paruam mihi fidem apud te? De. vin' me hoc credere?

Vin'

Vir? satis quæsitum mihi istuc esse? age fiat, quid illa filia
Amici nostri, quid futurum est? Ch. rectè.
De. hanc igitur mittimus?
Ch. Quid ni? De. illa maneat? Ch. sic. De. ire igitur tibi licet Nausistrata.
Na. Sic pol commodius esse in omneis arbitror, quàm vt taceras.
Monere hanc. nam perliberalis visa est, cùm vidi, mihi.
De. Quid istuc negocî est? Ch. iamne operuit ostium? De. iam. Ch. ô Iuppiter.
Dij nos respiciunt: gnatam inueni nuptam cum tuo filio. De. hem,
Quo pacto id potuit? Ch. non satis tutus est ad narrandum hic locus.
De. At tu intrò abi. Ch. heus, ne filij quidem nostri hoc resciscant, volo.

ACTVS V. SCENA IIII.

Iambici quadrati catalectici.

ANTIPHO.

LAEtus sum, vtut meæ res sese habent, fratri obtigisse quod volt.
Quàm scitum est, eiusmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cùm res aduorsæ sient, paulò mederi possis?

Hic

Hic simul argentum repperit, cura sese expedibit:
Ego nullo possum remedio me exoluere ex his turbis,
Quin, si hoc cæletur, in metu: sin patefit, in probro siem.
Neq; me domum nunc reciperem, ni mihi esset spes ostensa
Huiusce habendæ. sed vbinam Getam inuenire possum,
Vt rogem, quod tempus conueniundi patris me capere iubeat?

ACTVS V. SCENA V.

PHORMIO, ANTIPHO.

ARgentum accepi, tradidi lenoni: abduxi mulierem:
Curaui, propria ea Phædria vt poteretur: nam emissa est manu.
Nunc vna res mihi restat, quæ est etiam conficiunda, ocium
Ab senibus ad potandum vt habeam: nam aliquot hos sumam dies.
An. Sed Phormio est, quid ais? Ph. quid? An. quidnam nunc facturus Phædria?
Quo pacto facietatem amoris ait se velle sumere?
Ph. Vicissim parteis tuas acturus est. An. quas? Ph. vt fugitet patrem:

Te sum rogauit rursum vt ageres causſam, vt pro se diceres.
Nam potaturus est apud me: ego me ire senibus Sunium:
Dicam ad mercatum, ancillulam emptum, dudum quam dixit Geta:
Ne, cùm hîc non videant me, conficere credant argentum suum.
Sed ostium concrepuit abs te. An. vide, quis egrediatur. Ph. Geta est.

ACTVS V. SCENA VI.

Trochaici octonarij catalectici.

GETA, ANTIPHO, PHORMIO.

Catastrophe periculorum Antiphonis, quam casus attulit, qui vt in alijs Comœdijs, ita hic etiam res perturbatas, quæ consilio corrigi non poterant, sanat.

O Fortuna, ô fors fortuna, quantis commoditatibus,
Quàm subitò hero meo Antiphoni ope vestra hunc oneratis diem?
An. Quidnam hic sibi volt? Ge. nosq; amicos eius exoneraſtis metu?
Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio,
Atq; hominem propero inuenire, vt hæc, quæ contigerint, sciat.
An. Num tu intelligis, quid hic narrat? Ph. num tu? An nihil. Ph. tantundem ego.
Ge. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. An. heus Geta. Ge. hem tibi:

Num

Num mirum, aut nouum est, reuocari, cursum cùm instituerîs? An. Geta.
Ge. Pergin? hercle nunquam tu tuo odio vinces me. An. non manes?
Ge. Vapula. An. id quidem iam tibi fiet, nisi resistis verbero.
Ge. Familiariorem oportet esse hunc, minitatur malum:
Sed ime est, quem quæro, an non? ipsus est. Ph. congredere actutum. An. quid est?
Ge. Omnium, quantum est, qui viuant, hominum homo honoratiſsime:
Nam sine cõtrouersia ab dijs solus diligere Antipho.
An. Ita velim. sed quî isthuc credam ita esse, mihi dici velim.
Ge. Satin' est, si te delibutũ gaudio reddo? An. enecas.
Ph. Quin tu pollicitationes auſer, &, quod fers, cedo. Ge. oh,
Tu quoq; hic aderas Phormio? Ph. aderam: sed cessas? Ge. accipe, hem,
Vt modo argentum tibi dedimus apud forum, recta domum
Sumus profecti: interea mittit herus me ad vxorem tuam.
An. Quamobrem? Ge. omitto proloquî: nam nihil ad hanc rem est Antipho.
Vbi in Gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Myda:

Post apprehendit pallio, resupinat: respicio: rogo,
Quamobrem retineat me: ait esse vetitum intrò ad
heram accedere:
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem,
Eumq; nunc esse intus cum illis: hoc vbi ego audiui,
ad fores
Suspenso gradu placidè ire perrexi: accessi: astiti:
Animam compressi: aurem admouì: ita animum cœpi attendere.
Hoc modo sermonem captans. An. euge Geta.
Ge. hìc pulcherrimum
Facinus audiui: itaq; penè hercle exclamaui gaudio.
Ph. Quod? Ge. quodnam arbitrare? An. nescio.
Ge. atqui mirificissimum:
Patruus tuus, pater est inuentus Phanio vxori tuæ.
An. hem,
Quid ais? Ge. cum eius consuerit olim matre in
Lemno clanculum.
Ph. Somnium? vtin' hæc ignoraret suum patrem?
Ge. aliquid credito
Phormio esse causse: sed me censen' potuisse omnia
Intelligere extra ostium, intus quæ inter sese ipsi
egerint?
Ph. Atq; hercle ego quoq; illam audiui fabulam.
Ge. immò etiam dabo,
Quo magis credas: patruus interea intus egreditur
foras:

Haud

Haud multo pòst cum patre idem recipit se intrò
denuo:
Ait vterq; tibi potestatem eius habendæ se dare:
Deniq; ego sum missus, te vt requirerem, atq; abducerem.
An. Hem, quin ergo? rape me: quid cessas? Ge. fecero. An. ô mi Phormio
Vale. Ph. vale Antipho: bene, ita me Dij ament, factum: gaudeo.

ACTVS V. SCENA VII.

PHORMIO.

TAntam fortunam de improuiso esse his datam?
Summa eludendi occasio est mihi nunc senes,
Et Phædriæ curam adimere argentariam,
Ne cuiquam suorum æqualium supplex fiet:
Nam idem hoc argentum, ita vt ingratis est datum,
His datum erit: hoc qui cogam, reipsa repperi.
Nunc gestus mihi, voltusq; est capiundus nouus.
Sed hinc concedam in angiportum hunc proximum,
Inde hisce ostendam me, vbi erunt egressi foras:
Quò me assimularam ire ad mercatum, non eo.

ACTVS V. SCENA VIII.

DEMIPHO, PHORMIO,
CHREMES.

DIIS magnas meritò gratias habeo, atq; ago,
Quando euenere hæc nobis frater prosperè.
Quantum potest, nunc conueniendus Phormio est,

Prius, quàm dilapidet nostras triginta minas,
Vt auferamus. Ph. Demiphonem, si domi est,
Visam: vt quod. De. ad nos ad te ibamus Phormio.
Ph. De eadem hac fortasse caussa? De. ita hercle.
Ph. credidi
Quid ad me ibatis? ridiculum: an veremini,
Ne non id facerem, quod recepissem semel.
Heus, quanta quanta hæc mea paupertas est:
tamen
Adhuc curaui vnum hoc quidem, vt mihi esset fides.
Ch. Estne ea, ita vt dixi, liberalis? De. oppidò.
Ph. Itaq; ad vos venio nunciatum Demipho,
Paratum me esse: vbi voltis, vxorem date.
Nam omneis posthabui mihi res, ita vti par fuit,
Postquam tantopere id vos velle, animum aduorteram.
De. At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem:
Nam qui erit rumor populi, inquit, si id feceris?
Olim honestè potuit, tum non est data:
Nunc viduam extrudi, turpe est: fermè eadem
omnia,
Quæ tute dudum coram me incusaueras.
Ph. Satin' superbè illuditis me? De. quî? Ph. rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere:
Nam quo redibo ore ad eam, quam contemserim?
Ch. Tum autem Antiphonem video, ab sese amittere
Inuitum, eam inque. De. tum autem video filium
Inuitum sane mulierem ab se amittere.

Facetæ ironiæ Phormionis, quibus sibi aditum facit ad senes decipiendos.

Sed

Sed transi sodes ad forum, atq; illud mihi
Argentum iube rursum rescribi Phormio.
Ph. Quodne ego perscripsi porrò illis, quibus debui.
De. Quid igitur fiet? Ph. si vis mihi vxorem dare,
Quam despondisti, ducam: sin est, vt velis
Manere illam apud te, dos hîc maneat Demipho:
Nam non est æquom me propter vos decipi,
Cùm ego vestri honoris caussa repudium alteri
Remiserim, quæ dotis tantundem dabat.
De. I hinc in malam rem cum istac magnificentia
Fugitiue: etiam nunc credis te ignorarier,
Aut tua facta adeo? Ph. irritor. De. tune hanc duceres,
Si tibi data esset? Ph. fac periculum. De. vt filius
Cum illa habitet apud te: hoc vestrum consilium
fuit.
Ph. Quæso, quid narras? De. quin tu mihi argentum cedo.
Ph. Immò vero tu vxorem cedo. De. in ius ambula.
Ph. In ius? enimuero si porrò odiosi esse pergitis.
De. Quid facies? Ph. egóne? vos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini?
Etiam dotatis soleo. Ch. quid id nostra? Ph. nihil.
Hîc quandam noram, cuius vir vxorem. Ch. hem.
De. quid est?

Ph. Lemni habuit aliam. Ch. nullus sum. Ph. ex qua filiam
Suscepit: & eam clam educat. Ch. sepultus sum.
Ph. Hæc adeo ego illi iam denarrabo. Ch. obsecro,
Ne facias. Ph. oh, tun' is eras? De. vt ludos facit.
Ch. Missum te facimus. Ph. fabulæ. Ch. quid vis tibi?
Argentum quod habes, condonamus te. Ph. audio:
Quid vos (malum) ergo me sic ludificamini
Inepti, vostra puerili sententia?
Nolo, volo: volo, nolo, rursum cedo, cape:
Quòd dictum, indictum est: quod modo erat ratum,
irritum est.
C. Quo pacto, aut vnde hæc hic resciuit? De. nescio.
Nisi, me dixisse id nemini, certò scio.
Ch. Monstri, ita me Dij ament, simile. Ph. inieci
scrupulum. De. hem,
Hiccine vt à nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam apertè irridens? emori hercle satius est:
Animo virili præsentiq; vt sis, para.
Vides tuum peccatum esse elatum foras,
Neq; iam id cælare posse te vxorem tuam:
Nunc quod ipsa ex alijs adiutura sit Chreme,
Id nosmet indicare placabilius est.
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
Vlcisci. Ph. atat, nisi mihi prospicio, hæreo:
Hi gladiatorio animo, ad me adfectant viam.
Ch. At vereor, vt placari possit. De. bono animo es,
Ego

Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Cum è medio excesit, vnde hæc suscepta est tibi.
Ph. Itáne agitis mecum? satis astutè aggredimini:
Non hercle ex re istius me instigasti Demipho.
Ain' tu, vbi peregrè, tibi quod lubitum fuit, feceris,
Neq; huius sis veritus fœminæ primariæ,
Nouo modo ei, quin faceres contumelias,
Venias mihi precibus lautum peccatum tuum?
Hisce ego illam dictis, ita tibi incensam dabo,
Vt ne restinguas lachrumis, si extillaueris.
De. Malum, quod isti Dij, deæq; omneis duint.
Tantane affectum quemquam esse hominē audacia?
Nónne hunc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras? Ch. in id redactus sum loci,
Vt, quid agam cum illo, nesciam prorsum. De. ego
scio:
In ius eamus. Ph. in ius? huc, si quid lubet.
De. Assequere, ac retine, dū hinc ego seruos euoco.
Ch. Etenim nequeo solus: accurre huc. Ph. vna in-
uria est
Tecum. De. lege agito ergo. Ph. altera est tecum
Chreme.
De. Rape hunc. Ph. itáne agitis? enimuero voce est
opus.
Nausistrata exi. Ch. os opprime. De. impurum vide,
Quantum valet. Ph. Nausistrata inquam. Ch. non
taces?

Ph. Taceam? De. nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere.

Aliâs, excide. Ph. Vel oculum exculpe? Est, vbi vos vlciscar, probè.

ACTVS V. SCENA IX.

Senarij Trochaici, octonarij catalectici.

NAVSISTRATA, CHREMES, PHORMIO, DEMIPHO.

QVIS nominat me? Ch. hem. Na. quid istuc turbæ est, obsecro
Mi vir? Ph. hem, quid nunc obticuisti? Na. quis hic homo est?
Non mihi respondes? Ph. hiccine nunc vt tibi respondeat,
Qui hercle, vbi sit, nescit? Ch. cave isti quicquam credas.

Abi, corripit Phormionira arte Phædriæ patrem occiliat, vt Pargentū filius auferat pro Ciaristria. Ph. Abi, tange, si non totus friget, me eneca.
Ch. Nihil est. Na. quid ergo est? quid isthic narrat? Ph. iam scies,
Auscultа Ch. pergin' credere? Na. quid ego obsecro
Huic credam, qui nihil dixit? Ph. delirat miser
Timore. Na. non pol temerè est, quod tu tam times.

Ch. Egóne

Ch. Egóne timeo? Ph. rectè sane: quando nihil times,
Et hoc nihil est, quod ego dico, tu narra. De. scelus
Tibi narret? Ph. eho tu, factum 'st abs te sedulò
Pro fratre. Na. mi vir, non mihi narras? Ch. at.
Na. quid at?
Ch. Non opus est dicto. Ph. tibi quidem: at scito huic opus 'st.
In Lemno. Ch. hem, quid ais? De. non taces?
Ph. clam te. Ch. hei mihi.
Ph. Vxorem duxit. Na. mi homo, Dij melius duint.
Ph. Sic factum 'st. Na. perij misera. Ph. & inde filiam
Suscepit iam vnam, dum tu dormis. Ch. quid agimus?
Na. Prò Dij immortales, facinus indignum, & malum.
Ph. Hoc actum 'st. Na. an quicquam hodie est factum indignius?
Qui mihi, vbi ad vxores ventum 'st, tum fiunt senes. Trochaic. octo. cata.
Demipho, te appello: nam me cum hoc ipso distædet loqui.
Hæccine erant itiones crebræ, & mansiones diutinæ
Lemni? hæccine erat ea, quæ nostros fructus minuebat, vtilitas?

De. Ego

De. Ego Nausistratam esse in hac re culpam meritam non nego,
Sed eam, quæ sit ignoscenda. Ph. VERBA fiunt mortuo.
De. Nam neq; negligentia tua, neq; id odio fecit tuo.
Vinolentus ferè ab hinc annos quindecim, mulierculam
Eam compressit, vnde hæc nata est, neq; post illa vnquam attigit,
Ea mortem obijt: è medio abijt: qui fuit in re hac scrupulus.
Quamobrem te oro, vt alia facta tua sunt, æquo animo hoc feras.
Na. Quid ego æquo animo? cupio misera in hac re iam defungier.
Sed quid sperem? ætate porrò minus peccaturum putem?
Iam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
An mea forma, atq; ætas nunc magis expetenda est Demiphoni:
Quid mihi hîc affers, quamobrem expectem, aut sperem porrò non fore?
Ph. Exequias Chremeti, quibus est commodum ire, hem tempus est.
Sic dabo. age nunc, age Phormionem, qui volet, lacessito:

Faxo

Faxo tali eum mactatum, atq; hic est, infortunio.
Redeat sane in gratiam: iam supplicij satis est mihi.
Habet hæc ei, quod, dum viuat, vsq; ad aurem obganniat.
Na. An meo merito credo: quid ego nunc commemorem Demipho
Singillatim, qualis ego huic fuerim? De. noui æque omnia,
Tecum. Na. meritòne mihi videtur factum? De. minimè gentium:
Verùm, quando iam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce: orat, confitetur, purgat, quid vis amplius?
Ph. Enimuero, prius quàm hæc dat veniam, mihi prospiciam & Phædriæ.
Heus Nausistrata prius, quàm huic respondes temerè audi. Na. quid est?
Ph. Ego minas triginta per fallaciã ab ipso abstuli,
Eas dedi tuo gnato, is pro sua amica lenoni dedit.
Ch. Hem, quid ais? Na. adeo hoc indignum tibi videtur, filius
Homo adolescens, si habet vnam amicam, tu vxores duas?
Nihil pudêre? quo illum ore obiurgabis? responde mihi.
De. Faciet vt voles. Na. immò, vt iam meam scias sententiam,

Neq;

Neq; ego ignosco, neq; promitto quicquam, neq; respondeo
Prius, quàm gnatum videro, eius iudicio permitto omnia:
Quod is iubebit, faciam. Ph. mulier sapiens es Nausistrata.
Na. Satis tibi est? Ph. Ego vero pulchrè discedo, & probè,
Et præter spem. Na. tu nata omen dic quod est. Ph. mihin'? Phormio,
Vostræ familiæ hospes amicus, & tuo summus Phædriæ.
Na. Phormio, at ego ecastor posthac tibi, quod potero, & quæ voles,
Faciamq; & dicam. Ph. Benignè dicis. Na. pol meritum 'st tuum.
Ph. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam Nausistrata,
Et quod tuo vivo oculi doleant? Na. Cupio, Ph. me ad cœnam voca.
Na. Pol verò voco. Ite eamus intrò hinc. Na. fiat: Sed vbi est Phædria,
Iudex noster? Ph. iam hic saxo aderit. Vos valete, & plaudite.

Catastrophe periculorum Phædriæ.

CALLIOPVS RECENSVI.

Sex Comœdiarum Terentij

FINIS.



